Ex libris Thomæ Rotti.
Elbingæ. Anno 94.

L f. 2.4



# ANTONII

## MIZALDI MONLVCIANI

## Asterismi: siue Stellatarum octaui cœli imaginum Officina.

Eiusdem, periti rerum cœli Philosophi, seu Astronomi Encomium, elegans iuxtà ac ingeniosum.

*Ad Antonium Olinarium Lumbariensem Episcopum.*



ELB CPM BIBL

PARISIIS,

*Apud Carolam Cuillard, sub sole aureo, via ad diuum Iacobum.*

M. D. LIII.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

SVPERAT A TELLVS
SIDERA DONAT.

ELBLĄSKA BIBLIOTEKA
501
Ob. 6. II. 3318

EXIMIO VIRO ANTONIO Oliuario, Lumbarienſi Epiſcopo pio iuxtà ac erudito, Antonius Mizaldus Monlucianus. S. P. D.

LEGEBAM nuper apud Plutarchum, *Antiſtes eximie, Alexandrũ Magnũ inter ſpolia Darij Perſarũ Regis, vnguentorũ ſcriniũ reperiſſe, quod erat auro, argento, gẽmíſque, ac margaritis valde pretioſum. Cuius varios vſus cum certatim demonſtrarent multi: imò verò (inquit) libri Homeri cuſtodiæ deſtinabitur: vt præclariſsimum opus, quàm maximè diuite opere ſeruetur. Si petis, quorſum hæc? paucis dicã. Haud ita pridem cùm ego ſacræ Vraniæ ſplendidiſsima & ſummè diuina palatia inuiſerem: cœleſtéſque eius theſauros (Dij boni quàm admirabiles) modis*

*omnibus laudarem ac ſuſpicerem: heus, ait, ne fruſtra huc te aſcendiſſe dicas, elegantiſſimum ſcriniolum hoc tecum aufer: inuenies in eo octo & quadraginta imagines, non dicã quouis auro & argento, gẽmiſque ac margaritis pretioſiores, ſed omni adamante, hiacintho, chryſolitho, carbunculo, topaſio, aut pyropo illuſtriores, ac rutilantiores: atq;, vt paucis concludam, vniuerſo pretio quod tota mundi inferioris Vniuerſitas tibi dare poteſt, maiores ac præſtantiores. Has cùm amicis aliquot oſtendiſſem, multóſq; illi & principes viros, & magnates mihi nominaſſent, dignos (vt dicebãt) quibus illas offerrem: imò verò, inquã, Antonio Oliuario Lumbarienſi Epiſcopo erudito æquè ac humano deſtinabuntur: vt præclariſſimũ munus & verè cœleſte, clariſſimo homini, & rerũ cœli amãtiſſimo (addam etiam digniſſimo) cõmittatur, ac deſtinetur. Nam ille de multis vnus eſt, qui*

rectum nouit & vtile quid ſit:

Quid pretioſa valent, quid diſtant ſacra prophanis.

*Id quod*

*Id quod commune habet cum prudentiſsimo fratre ſuo Franciſco Oliuario, Franciæ Cancellario nunquam ſatis laudato: Memini hiſtoriarum ſcriptores Auguſtum commẽdare, quòd triſtem à ſe neminẽ vnquã dimiſerit: Traianũ, quòd doctos libẽter & viderit, & audiuerit: Põpeium, quòd facilẽ ſe omnibus exhibuerit. Hæc tria (magna certè) Oliuariorũ genti hæreditaria eſſe, nemo, ſcio, negabit, niſi fortaſſe qui illorũ ædes nũquam ſalutauit: aut cum Oliuariis in colloquium nullo pacto deſcendit. Vera ſcribens, nemini impono. Sed tempeſtiuum eſt, vt ad te Antiſtes ornatiſſ. noſtra ſe cõuertat epiſtola. Nudius tertius cùm ego extremam manum impoſuiſſem Vranographiæ meæ, cœpi apud me conſilium inire de nouo patrono illi comparando: imò verò de æquo cenſore & recto: qui aures, vt eſt apud Plutarchum, audiendis Muſis, quàm equis, canibus, auibus, ſcortis, aut aſinis appoſitiores haberet: animúmque libris potiùs, quàm præſepiis & culinis accõ-*

 *moda-*

modaret: paucis, qui res doctas & ſerias, omnibus Pantagrueliſmis, & Amadiſmis, potiores duceret. Ea in re ſummorum virorũ, Ariſtotelis, & Plinij cõſilio vſus: quorũ ille, iudicem optimum vnumquẽq; eſſe tradit eorum quæ rectè nouit, ac didicit: hic, fœlices eſſe arteis, de quibus ſoli artifices iudicãt. Nec temere, mea ſententia. Nam quæ, per Deos immortales, ingeniorũ apud rudes & indoctos cõmendatio? quod diſciplinarũ iudiciũ? quis artibus bonos? quod laborum præmium? quæ inuitatio? quis fauor? aut quis ad ſtudia ſtimulus? Itaq;, ne ego incautus & malè prudens, in tales ingeniorũ carnifices inciderem: ne in iſtiuſmodi bonarum mentium lanienam præcipitarer: tuam gentem & domum, à tam horrendo mari longè, latéque nauigãtem, de omnibus mihi demerendam duxi. Téque imprimis dignum exiſtimaui, cui cœleſtis huius theatri mei colophon deſtinaretur. Vrania dies ac noctes me ad id ſollicitãte: quæ & te, & vniuerſam gentem tuam

iam

*iam olim res ſuas excoluiſſe, ſuos alumnos fouiſſe, ſuas partes ſuſtinuiſſe, vbique prædicat: & ob id, ſummè idoneum te eſſe, in cuius manus veniant iam dictæ cœleſtes imagines octo & quadraginta, ſupra omne miraculum admirabiles. Quibus ſi Phidiæ Mineruam componis, ſi Myronis Herculem, Lyſippi Alexandrum, Praxitelis & Apellis Venerem, Zeuſidis Penelopen, Dædali ingenia, paucis, quidquid tabularũ, ſignorum, & ſtatuarum artifices eximij, pinxerunt, ſculpſerunt, aut conflarunt, nihil prorſum ad has eſſe dices. Nam & materiam (ſi ita loqui licet) & artificem longè inſigniorem habent: Deum, inquam, Opt. Max. rerum omnium mundi autorem, & pulcherrimorum artificiorũ omnium magiſtrum ſummè venerandũ. Cuius verbo, elegans hæc mundi Vniuerſitas, nullo adhibito inſtrumẽto, ſtatim in formam prodiit: viuáſque hominum, volucrum, natantium, & animalium omnium effigies, plantarúmque & arborum ſpecies*

innumeras, diuersis picturis & coloribus variegatas, absque vllo penicillo actutum emisit. Quod in cœlo simili factũ fuisse virtute, constanter credere par est. In quo, descriptas hic à nobis stellatas imagines & videre, & reperire licet: si minùs in forma, saltẽ in ordine & situ siderũ, à quibus tales imagines cõfigurantur. Quæ, præter summam pulchritudinem, eximiã lucem, occulta miracula, & latentem energeiam, qua mundus inferior vitam accipit, miram etiam Dei autoris prouidentiam, bonitatem, ac maiestatem attestãtur. Has, Præsul doctissime, si ea facie & manu excipere dignaberis, qua nuper Zodiacum nostrum prudentissimus frater tuus Cancellarius, fœliciter nobiscum agetur. Bene vale in eo cui cœlum & sidera parent. Lutetiæ, Calendis Martiis.

1 5 5 3.

## LIBER ASTERISMORVM Antonij Mizaldi, hæc in ſumma habet.

TOtus liber ſtellas octaui orbis, & ex his conformatas imagines, tam ſeptẽtrionales quàm meridionales facili methodo perſequitur: nuncupatis etiamnum partibus & ſtellis illuſtrioribus, quæ in illiſmet imaginibus paſsim emicant. Ponit inſuper numerum ſtellarũ ex quibus imago quælibet, & Signum Zodiaci vnumquodque conſtat. Adiicit & formas eiuſdem octaui orbis quæ cum duodecim imaginib⁹ Signiferi, in Lutetiano Horizõte, & vicinis, quotãnis exoriuntur & item occidunt: aſcendunt ac deſcendunt. Poſtremo concluſionem adfert, cum pulcherrima paracleſi ad rerum cœli oſores & detractatores.

Huius præcipua ſummáque capita hac digeruntur ſerie.

PRæfatiuncula cum propoſitione breuem inuocationem & partium ſcribendarum rationem annexam habens.

Octauam Sphæram parteis habere duas, ſtellatis formis quamplurimis ſparſim illuſtratas.

Aſteriſmorum ſeu imaginum octaui cœli in ſeptentrionali plaga, & hemiſphærio intra Zodiacum lucentium ac reſidentium, nomenclatura, ordo & ratio.

Earundẽ imaginũ, ſeu Aſteriſmorũ deſcriptiones per lucẽtia in illis mẽbra, & ſtellatas particulas.

Stellatæ partes Vrſę minoris, q̃ & Cynoſura dicit.

Stellatæ

Stellatę partes Vrſæ maioris, quę & Helice vocat.
Stellatæ partes Draconis.
Stellatæ partes Cephæi
Stellatę partes Bootis, qui & Arctophylax dicitur.
Stellatæ partes Coronæ borealis.
Stellatæ partes Herculis, qui & Engonaſis dicitur.
Stellatæ partes Lyræ, quæ & fidicula nuncupatur, & vultur cadens.
Stellatæ partes Cygni, qui & Olor, & auis dicitur, necnon & Gallina.
Stellatæ partes Caſsiopeæ, quæ & Cathedrata vocatur.
Stellatæ partes Perſei.
Stellatæ partes Heniochi: qui & Auriga ſolet appellari & Erycthonius.
Stellatæ partes Serpentarij: qui & Ophiuchus dicitur.
Stellatæ partes Serpentis Ophiuchi.
Stellatæ partes Sagittæ, quæ & Telũ nuncupatur.
Stellatæ partes Aquilæ.
Stellatæ partes Delphini.
Stellatæ partes Equi minoris: qui & Equuleus dicitur.
Stellatæ partes Equi maioris, qui & Pegaſus vocatur.
Stellatæ partes Andromedæ: quæ & Cathenata dicitur.
Stellatæ partes Trianguli: qui eſt Deltωton inſcribitur.
Quot apparentes ſtellas habeat in forma, vt loquuntur, viſibili ſeptentrionalis quæque octaui cœli

ui cœli imago priùs ſcripta & adnotata.

Summa ſtellarum omnium plagæ ſeptentrionalis octaui orbis: cum numero & claſſe magnitudinum dictarum ſtellarum. Adhæc, quid appelletur pars auſtralis, & borealis.

Aſteriſmorum, ſeu octaui cœli imaginum in meridionali plaga & hemiſphærio extra Zodiacum lucentium ac reſidentium, nomenclatura, ordo, ſitus & ratio.

Eorundem Aſteriſmorum ſeu imaginum deſcriptiones per lucentia in illis membra, & ſtellatas particulas.

Stellatæ partes Ceti, qui & Piſtrix, & Priſtis ac Balæna dici ſolet, necnon Belua.

Stellatæ partes Orionis, qui & Iugula dicitur, & armatus, & enſifer.

Stellatæ partes Eridani, qui & fluuius dicitur.

Stellatæ partes Leporis.

Stellatæ partes Canis maioris: qui & Canicula, & Seirius etiam dici ſolet.

Stellatæ partes Canis minoris, qui & Procyon & Antecanis dicitur.

Stellatæ partes Nauis, quæ & Argo vocatur.

Stellatæ partes Hydræ, quę & Anguis nũcupatur.

Stellatæ partes Crateris, qui & Vas & Vrna dicitur.

Stellatæ partes Corui.

Stellatæ partes Cẽtauri, qui & Chiron appellatur.

Stellatæ partes Lupi, qui & Beſtia dicitur.

Stellatæ partes Aræ, quæ & Thuribulum, & Lar inſcribi ſolet.

Stellatæ partes Coronæ auſtralis.

Stellatæ partes Piſcis auſtralis.

Quot apparentes ſtellas habeat in forma, vt loquuntur, viſibili, meridiana quęque octaui cœli imago hîc ſcripta & adnotata.

Summa ſtellarum omniũ illuſtrium ac obſcurarũ plagæ auſtralis octaui orbis, nunc nuper hic ex propriis imaginibus deſcriptarum.

Quoſnam cœleſtis ſphæræ circulos deſignent hactenus deſcriptæ octaui orbis imagines, tam boreæ quàm auſtrinæ.

Admonitio in ſuperiora & præcedentia.

Orbis Signorum ſeu Zodiaci imagines & Aſteriſmi in octaua Sphæra.

Quibus ſtellis, quot, & qua parte conformentur duodecim imagines Zodiaci, ex Alfonſo, & aliis antiquis.

Signi Arietis deſcriptio per ſtellatas eius partes: cum numero ſtellarum illuſtriorum, ex quibus Signum totum conflatur.

Signi Tauri deſcriptio, per &c.

Signi Geminorum deſcriptio, per &c.

Signi Cancri deſcriptio, per &c.

Signi Leonis deſcriptio, per &c.

Signi Virginis deſcriptio, per &c.

Signi Libræ deſcriptio, per &c.

Signi Scorpij deſcriptio, per &c.

Signi Sagittarij deſcriptio, per &c.

Signi Capricorni deſcriptio, per &c.

Signi Aquarij deſcriptio, per &c.

Signi Piſcium deſcriptio, per &c.

Inſigniores aliquot ſtellæ, quæ & in Signifero, & ſupra

ſupra ſcriptis octauæ Sphæræ imaginibus, tam boreis, quàm auſtrinis lucent. Quarum nomina, ſicuti frequentiſsima ſunt apud priſcos rerum cœli, agri & medicinæ ſcriptores: ita magnos vſus, & incredibiles cõmoditates ſtellarũ ipſarum obſeruatio adferre ſolet: ſiue res corporis, terræ, aut aëris, ſpectare voles.

Summa ſtellarum omnium illuſtrium ac obſcurarum, quæ in duodecim imaginibus Zodiaci octauæ Sphæræ continentur.

Octauæ Sphæræ imagines, quas tam in oriẽtali q̃ occidentali Horizonte comites ſecũ habent, & deducũt Signa omnia Zodiaci (vt ſũt duodecima pars Signiferi, hoc eſt grad° triginta cõplectũtur) tãtiſper dum acronychè, vel, vt loquũtur, chronicè exoriuntur: aut (ſi vis) poſt Solis occaſum, ſupra Horizontẽ aſcẽdunt: preſertim in Lutetiano Horizonte & vicinis. Res, cũ ad alia multa, tum ad explorandã toto anno cœli faciem, perutilis & iucunda: Poterit etiam ad alios Signorum exortus facilè accommodari.

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Ariete, per noctem, & aliter, ſurgentes, ac labentes.

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Tauro &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum Geminis &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Cancro &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Leone &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum tota Virgine &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum tota Libra &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Scorpio &c.

Imagines octauæ Sphæræ, cũ toto Sagittario &c.

Imagines

Imagines octauę Sphęrę,cũ toto Capricorno &c.
Imagines octauæ Sphæræ,cum toto Aquario &c.
Imagines octauæ Sphæræ cum Piſcibus per noctem & aliter ſurgentes & labentes,aſcendentes & deſcendentes.
Admonitio in iam dicta.
Quot ſtellas in ſumma totus orbis cœlorum octauus,duabus regionibus ſuis accipiat: imò verò cœlum vniuerſum.
Imaginum octauæ Sphæræ in natiuitatibus exorientium,aut occidentium decreta & apoteleſmata: ex Marco Manilio rerum cœli poëta antiquiſsimo, & Iulio Firmico, necnon Iouiano Pontano ad verbum ferè, decerpta.
Orionis ſeu Iugulæ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Cœti exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Arcturi exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Aquilæ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Nauis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Leporis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Procyonis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Lyræ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Heniochi exortu nati.

Eiuſdem

Eiuſdem occaſu nati. ∴
Crateris exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Cygni exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Pegaſi exortu nati. ○
Eiuſdem occaſu nati.
Hœdi exortu nati. ∴
Eiuſdem occaſu nati.
Coronæ exortu nati. ∴
Eiuſdem occaſu nati.
Delphini exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati. ○
Hyadum exortu nati.
Earundem occaſu nati.
Sagittæ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Caniculæ exortu nati. ∴
Eiuſdem occaſu nati.
Engonaſis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Aræ exortu nati. ○
Eiuſdem occaſu nati.
Capræ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Andromedæ exortu nati. ∴
Eiuſdem occaſu nati.
Anguis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Pleiadum exortu nati.
Earumdem occaſu nati.

Perſei exortu nati, & item occaſu.
Centauri exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Caſsiopes exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Piſcis exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Spicæ exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Cephei exortu nati.
Eiuſdem occaſu nati.
Admonitio in præcedentia ſummè notanda.
Concluſio cum pulcherrima paracleſi ad μυσουράνους Epicureos, cœli & rerum illius præſtãtiſsimarum oſores, ac deriſores ſummopere ridendos ac deridendos.

FINIS.

# ANTONII MIZALDI
## Monluciani Asterisimi, siue stellatarum octaui cœli imaginum Officina.

MVSA agedum, tibi nũc animis, tibi pectore firmo — PROPOSITIO.
Est opus: octaui vt volites ad culmina cœli:
Te satis, atque satis septem tenuere Planetæ:
Signáque Zodiaci, necnon & fabrica mundi:
Rebus in excelsis decus est, ac gloria maior:
Quare, pone metum, & leuioribus vtere pennis:
Vt rutilum velox perlustres amphitheatrum,
Quod splendet formis pulchro radiantibus auro.
Si quid formidas, sic cœli affare magistram:
Me sacra VRANIE, me cœli summa petentem, — INVOCATIO.
Astra recensentem, ceu tu dux certa viarum
Præcede: & specula residens sublimis in alta
Ostendas reliquum cœli: atque id nomine signa:
His actis, stellatum mundum excurrere perge:
Quem (vt nosci verè posset) veneranda vetustas
Pinxit in effigiem variam, variásque figuras:
Queis sunt ex sociis data singula nomina stellis:
Vt formæ ipsæ vsum, simul & commenta sequantur:
Et non vt fieret (quod scribunt) fabula cœlum:
Sicut perfacili satages monstrare Minerua.



Biblioteka Uniwersytecka Toruń

Octauam Sphæram parteis habere duas, ſtellatis formis quamplurimis ſparſim illuſtratas.

NARRATIO àptibus octaui orbis.

*INnumeris miranda modis, octaua Polorum*
*Sphæra, duas retinere plagas ſpectatur: & illis*
*Stelligeras formas complures ordine ferre:*
*Vna ſolet dici Borealis, & altera verè*
*Auſtralis: per quas ſparſim lucéntque, micántque*
*Effigies hominum, volucrum, pecorum, atque natantum:*

Variæ imagines in Sphæra octaua.

*Ignis & vndarum: ſummatim, quidquid habere*
*In genere inferior mundus cenſetur: vt illic*
*Eſſe ſuos ortus intelligat, interitúſque:*
*Et quòd ab excelſis dependent infima: quorum*
*(Siue velint, nolint) radiis, motúque reguntur.*

Numerus imaginũ octauæ Sphæræ.

*Sed formas omneis cœlorum rite putabis*
*Eſſe quater denas, adiectis inſuper octo:*
*Vt nunc oſtendam, & producto nomine tradam.*

Aſteriſmorum, ſeu imaginum octaui cœli, in Septentrionali plaga & hemiſphærio, intra Zodiacum, reſidentium ac lucentium, nomenclatura, ordo & ratio.

*VIginti reſident ad ſeptem Signa triones:*
*Vnum ſi iungas, velut hic deſcribere pergo.*

Vrſa minor ſeu Cynoſura.

*Extremum Cynoſura pigrè torquetur ad axem:*
*Tam motu, quàm luce patens Borealibus oris:*
*Vrſa minor vocitata: nec eſt manifeſtior autor*
*Non apparentem pelago quærentibus orbem.*

Vrſa maior, ſeu Helice.

*Hanc Helice ſequitur: nunc, olímque Vrſa recepta*
*Maior: quam multæ certantes lumine ſtellæ*
*Sub forma plauſtri (à quo nomen fertur habere*
*Vulgatum populo) pingunt, ac rite figurant:*
*Haud quaquam paribus ſunt frontibus: vtraque caudã*

*Iactat*

*Iactat in alterius roſtrum, ſequiturque ſequentem:*
*Has circũfuſus, circúmque amplexus, vtrinque*
*Diuidit Heſperidum ſummè dilucidus Anguis:*
*Ingenti faciens ſinuoſa volumina cauda:*
*Ne coeant, abeántve ſuis à ſedibus vſquam.*
*Hunc inter, mediúmque orbem quo ſidera ſeptem*
*Per biſſena meant, cœlo aduerſantia, Signa,*
*Diuerſis mixtim conſurgunt viribus aſtra:*
*Hinc vicina polis, Signorum hinc proxima flammis:*
*Iuxta frigenteis Arctos, Boreámque rigentem,*
*Nixa venit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſæ:*
*Aſtronomi Engonaſim dixerunt uomine Græco.*
*A tergo nitet Arctophylax, idémque Bootes:*
*Arcturum rapiens medio ſub pectine ſecum.*
*At parte ex alia claro iacet orbe Corona,*
*Luce micans varia, perpulchráque lumina geſtans:*
*Gnoſia deſertæ, credunt, monimenta puellæ.*
*Hinc Lyra diductis per cœlum cornibus, inter*
*Sidera conſpicitur: quâ quondam ceperat Orpheûs,*
*Omne quod attigerat cantu, manéſque per ipſos*
*Fecit iter: domuítque infernas carmine leges:*
*Huic cœleſtis honos, ſimiliſque potentia cauſæ:*
*Tunc ſyluas, & ſaxa trahens, nunc ſidera ducit:*
*Et rapit immenſum mundi reuolubilis orbem.*
*Serpentem ſpiris Ophiuchus deinde moleſtis*
*Suſtinet: & toto cingentem corpore mœſtus*
*Excipit: ac nodos, ſinuatáque terga per orbeis*
*Reſpicit: ille tamen molli cernice reflexus,*
*Se dat prætenſis per laxa volumina palmis.*
*Proxima ſors Cygni, quem cœlo Iupiter olim*
*Impoſuit: formæ precium qua cepit amantem:*

Anguis, ſeu Draco.

Hercules ſeu Engonaſis.

Arcturus ſeu Bootes.

Corona Ariadnes.

Lyra, ſeu vultur cadens.

Ophiuchus & eius Serpens.

Cygnus ſeu Gallina.

*Cum Deus in niueum descendit versus Olorem:*
*Tergáque fidenti subiecit plumea Lada.*
Sagitta. *Post, imitata nitent cursúmque, habitúmque Sagitta*
Aquila. *Sidera: móxque Iouis acer Ales fertur in altum:*
*Stellatus volitans, ceu gestet fulmina cœli.*
Delphin⁹. *Porrò, de Ponto venit Delphinus ad astra:*
*Oceani, cœlíque decus spectabile valde:*
Equus maior & minor. *Quem rapido conantur Equi comprendere cursu:*
*Cum maiore minor, fulgenti lumine clari:*
Andromeda. *Andromede sectatur eos: quam denique Perseûs*
Perseus. *Ereptam, iunxit sibi: deîn succedit iniquo*
Deltωton. *Diuisum spatio, quod terna lampade dispar*
*Conspicitur, proprio Deltωton nomine sidus:*
Cepheus. *Ex simili dictum: Cepheûsque, & Cassiopea:*
Cassiopea *Ac vicina iacit fesso vestigia Tauro*
Heniochus. *Heniochus: studio cœlúmque, & nomen adeptus:*
*Quem primum curru volitantem Iupiter alto,*
*Quadriiugis conspexit equis, cœlóque sacrauit.*

## Eorundem Asterismorum, siue cœlestium imaginum descriptiões per stellatas particulas quę in illis lucent, ac emicant: maximè in forma, vt loquuntur, visibili.

Stellatæ partes Vrsæ minoris, quæ & Cynosura dicitur, & Septentrio, & Plaustrum minus.

Vrsa minor. *VRsa minor stellas circunfert partibus hisce:*
*In cauda, dorso, ac humeris, ex ordine septem:*
*Quæ formam plaustri referunt: quapropter vbique*
*A populo, Vrsa minor fertur plaustrum minus esse.*

Stellatæ

Stellatæ partes Vrſæ maioris, quæ & Helice dicitur, & Plauſtrum maius.

*IN roſtro, ac binis oculis, magna Vrſa refulget:*
*Et fronte, auriculis, collo, dorſoq́, humeróque,*
*Pectore, crure, genu, necnon & ad ilia: dextro*
*Deînde pede, ac læuo: veluti nox indicat ipſa:*
*Sed iacit è multis præfulgida ſidera ſeptem:*
*Quæ, quia plauſtralem (vt ſcripſi) dant rite figuram,*
*Hinc anſam vulgo tribuunt, vt protinus Vrſa*
*Hæc, plauſtrum maius dicatur nomine noto.*

Vrſa maior quas parteis habeat ſtellatas.

Stellatæ partes Draconis, qui etiam Anguis dici ſolet, & Serpens.

*ORe Draco rutilat, lingua quoque, luminibúſque,*
*Et collo, & capite, & ſpinâ, caudâque, genâque.*

Draconis partes.

Stellatæ partes Cephei.

*CEpheûs collucet pedibus, humeris, cubitóque:*
*Queis pectus iunges, dextrum latus, atque tiaram:*
*Brachiáque, in reliquis nullo eſt ſpectabilis aſtro.*

Cephei partes,

Stellatæ partes Bootis, qui etiam Arctophylax dicitur.

*HVîc caput, atque manus, cubitus, necnon femur, & pes,*
*Venablum, vola, cúmque humeris calcaneus, igneis*
*Eximios fundunt, & miro lumine claros.*

Bootis partes.

Stellatæ partes Coronæ borealis: quæ & Ariadnæa dicit.

*DEſunt membra quibus deſcribere rite Coronam*
*Poſſimus: ſatis eſt dixiſſe, quòd ambitus illi*

Coronæ partes.

*Vndique per noctem lucet fulgentibus astris.*

Stellatæ partes Herculis, qui & Engonasis dicitur, & Geniculatus.

Herculis partes.

*ET capite, axilláque micat: nec brachia sperne,*
*Ac humeros, cubitũ, latº, & femur, inguina, clunes,*
*Atque genu, inde manum, necnon surásque, pedésque.*

Stellatæ partes Lyræ, quæ & Fidicula, & Testudo, & Vultur cadens dici solet.

Lyræ partes.

*SPlendescit cornu, & ferme testudine tota,*
*Ac fidibus: quæ sunt Thracis monimenta Poetæ.*

Stellatæ partes Cygni, qui & Olor, & Gallina, & Auis etiam dicitur.

Cygnipartes.

*PRæfulget collo, rostro, capite, & pede, cauda,*
*Atque genu, medio quoque pectore, denique & ala.*

Stellatæ partes Cassiopeæ, quæ & Cathedrata etiam dicitur.

Cassiopeę partes.

*STellatum pectus præfert, & caput, & crus,*
*Atq; pedes, cathedrã, cubitumq;, & brachia, zonã,*
*Addo femur: veluti Astronomi docuêre priores.*

Stellatæ partes Persei: qui & deferens caput Medusæ, & Algol dicitur.

Perseĩ partes.

*HVic cubiti, atq; manº, humeri, caput, & latus ardẽt*
*Ignibus eximiis: poplites, scapulæ, femur, & crus*
*Addentur: necnon & tali, denique surã:*
*Ac caput horrendum quod dicitur esse Medusæ.*

Stellatæ partes Heniochi, qui & Agitator, & Auriga, & Erychthonius nuncupatur.

Heniochi partes.

*IN capite, ac humeris, cubito, pede, clune, voláque,*

*Talis,*

*Talis, ac Hœdo, Heniochus rutilare videtur.*

Stellatæ partes Ophiuchi, qui & Serpentarius dicitur, & Anguitenens.

Ophiuci partes.

*A Stra gerit cubitis, humero, capite, & pede multa:*
*Deinde manu, poterunt femur, & calcaneus addi.*

Stellatæ partes ſerpentis Ophiuchi.

Serpentis partes.

*N Aribus, atque gena, colloq́, & tempore, ſpina:*
*Necnon & capite, & dorſo, cauda, inſuper ore,*
*Innumeras ſtellas hic ſerpens fertur habere.*

Stellatæ partes Sagittæ, quæ & Telum etiam dicitur.

Sagittæ partes.

*A Ethereos ignes iaculatur arundine Telum:*
*Prætereà crena, necnon & cuſpide tota.*

Stellatæ partes Aquilæ, quæ & Vultur volans dicitur.

Aquilæ partes.

*IN capite, & ſcapulis, humero, collo, inſuper vnâ*
*Caudâ, perpulchris Aquila eſt ſpectabilis aſtris.*

Stellatæ partes Delphini.

Delphini partes.

*E T latere, & collo, tum dorſo, denique ſpina,*
*Illuſtreis Delphinus habet flammáſque, facéſque.*

Stellatæ partes Equi minoris, qui & Equuleus dicitur, & Equus prior.

Equi minoris partes.

*O Re micat, rutilúmque caput prætendit ab alto:*
*Nulla parte alia quacunque notabilis vlli.*

Stellatæ partes Equi maioris qui & Pegaſus dicitur, & Equus dimidius.

Equi maioris partes.

*S T elliferum rictum, atque caput, ſcapulas, humeroſq́,*
*Pectus, ceruicem, armum, & cum ſuffragine, crura,*

*Cumq; iubis collum, vmblicum, genua, insuper alas,*
*Pegasus obiectat, stellisque ardentibus offert.*

Stellatę partes Andtomede, quę & Cathenata dicitur.

Andromedæ partes.

*DE scapulis, humeris, de zona, déque lacertis,*
*Ac pedibus, cubito, poplite, armo, syrmate vestis,*
*Atque manu, Andromede scintillas excutit ignis.*

Stellatæ partes Trianguli, qui & Deltωton dicitur.

Trianguli partes.

*EXimias, apice, atque basi, succedit habétque*
*Deltωton faculas: nostri dixere Trianglum:*
*In quo finimus borcales rite figuras.*

Quot apparentes stellas habeat (maximè in forma, vt loquuntur visibili) Septentrionalis quæq; octaui cœli imago, hic scripta & adnotata.

*QVæ sint Signa Poli borei describimus, & queis*
*Partibus igneſcant: superest ostendere stellas*
*Quas magno numero quæuis admittit imago*
*In forma: vt possint cuiuis de nocte notari.*

Vrſa minor. *Vrſa minor (Græcis passim κυνὸσουρα vocata)*
*Septenis astris sursum rutilare videtur.*

Vrſa maior. *Maior (quòd cœlo maiori corpore fulget,*
*Græcis dicta ἑλίκη) viginti lumina seruat*

Draco. *Cum septem: formant vnum & trigena Draconem.*

Cepheus. *Vndenis Cepheûs constat pellucidus astris:*

Caſsiopea Corona. *Caſsiopea decem atque tribus: velut octo, Corona:*
*Septena atque decem tribuuntur sidera Cygno:*

Cygnus. *Ignibus Engonasis triginta, nocte refulget,*

Engonasis. *Vnum si demas: vt crebrò vidimus ipsi:*

Bootes. *Viginti atque duo designant astra Bootem:*

Perseus. *Viginti & septem flammas capit æthere Perseûs:*

Henioch⁹ *Bis septem Heniochus: humero quæ clara sinistro est*

*Fertur*

*Fertur Capra: duas alias quas læua refundit,* Capra.
*Hœdos appellant: nautis sæpe anxius horror.* Hœdi.
*Ast Ophiuchus habet viginti & quattuor astra:* Ophiuchus.
*Ac eius Serpens viginti, si duo tollas:* Serpens.
*Est Lyra luminibus denis Orphæa coruscans:* Lyra.
*Et quinque ætheream designant astra Sagittam.* Sagitta.
*Ignibus inde nouem rapidus Iouis emicat ales:* Aquila.
*Delphinus bis quinque tenet, pernobile sidus:* Delphinꝰ.
*Vigenis sursum splendescit Pegasus astris:* Pegasus.
*Quique minor vocitatur Equus (res vera) quaternis:* Equus minor.
*Andromede tribus & viginti est nota lucernis:* Andromeda.
*Deltωton ternis, qui partem finiet istam:* Deltωton.
*Sed memor esto, quòd hîc informes negligo stellas.*

Summa stellarum omnium plagæ septentrionalis octaui orbis: cum numero & classe magnitudinum dictarum stellarum. Adhæc, quid appellatur pars australis, & borealis.

*NVnc demum octauæ borealis portio Sphæræ*
*In summa quot habet stellas exponere pergo:*
*Obscuras numero socians illustribus omneis:*
*Verùm te cupio memori bene condere mente,* Quæ pars australis & borealis octauæ Sphæræ.
*Quòd dictæ Sphæræ borealis portio fertur*
*Quæ intra Signiferum rectâ procedit ad Arcton*
*Frigora spargentem nobis: tenet altera partem*
*Oppositam, australis communi nomine dicta.*
*Sunt ergo ad boream stellæ miro ordine sparsæ*
*Ter centum & decies sex: ni me docta vetustas*
*Decipit: hunc etenim numerum numerare nequiui:*
*Ex his tres, primæ sunt classis: deinde secundæ*
*Octonæ atque decem: sexagenæ & decies sex* Magnitudines stel-
*Ternæ, queis vnam debes sociare: quaternæ*

*Sexagin-*

larũ partis borealis octauæ Sphæræ.

*Sexaginta vltra centum, ſeptémque decémque:*
*Quintæ, octo & quinquagenæ: ſunt denique ſextæ*
*Et tres atque decem: obſcuræq; nouem: inſuper vna*
*Quam priſco Aſtronomi nebuloſam nomine dicunt.*

Aſteriſmorum, ſeu octaui cœli imaginum, in meridionali plaga, & hemiſphærio, extra Zodiacum, lucentium ac reſidentium, nomenclatura & ordo.

*FOrmæ quindenæ madido retinentur in Auſtro:*
*In quibus eximia ſe prodit imagine primus*
Cetus. *Cetus: Perſæa vix olim falce peremptus:*
Orion. *Hac etiam parte armatum Orionа videbis:*
*In magnam cœli tendentem brachia partem:*
*Nec minùs extento ſurgentem ad ſidera paſſu:*
*Singula fulgenteis humeros cui lumina ſignant:*
*Atque tribus rutilis demiſſus ducitur enſis:*
Nilus. *Poſthunc ſpectabis Nilum, Leporémque fugacem:*
Lepus. *Quem Canis haud vnus ſequitur, maiórque, minórque:*
Canis vterque. *Non procùl hinc, Lupus aſpicitur, rutilánſque Corona:*
Lupus. *Inter & auſtrales Argo micat inclyta flammas:*
Corona. *In cœlum ſubducta, mari quòd prima cucurrit:*
Argo. *Seruando Dea facta Deos, & vellere nota:*
Ara. *Pòſt, Aram, ſacrúmque potes Cratera tueri:*
Crater. *Necnon Phœbeum radianti ſidere Coruum:*
Coruus. *Centaurúmque trucem: domitámque laboribus Hydram*
Cétaurus. *Herculeis: peſtem Lernæ, & mirabile monſtrum.*
Hydra. *Hac etiam Piſcis quidam regione videtur:*
Piſcis auſtrinus. *Quem Notium priſci dixere à nomine partis:*
*Auſtrinas in quo claudemus rite figuras.*

Eorum-

## Eorundem Asteriſmorum, ſeu imaginum deſcriptiones per lucentia in illis mẽbra, & ſtellatas particulas, maximè in forma, vt loquuntur, viſibili.

Stellatæ partes Ceti, qui & Piſtrix, Priſtis, Balæna, & Belua etiam dici ſolet.

Ceti partes ſtellatæ.

*NAre igneis efflat Cetus, victúque, geníſque,*
*Necnon maxilla, ore, iubis, ac pectore, ventre:*
*Præterea cauda, atque, oculis, ipſóque capillo.*

Stellatæ partes Eridani, qui & fluuius dicitur.

Nili partes.

*PEr partes, aut membra nequit deſcribier vnus*
*Eridanus, vaſta cœli regione locatus.*

Stellatæ partes Orionis, qui & Iugula dicitur, & Fortis, & Armatus.

Orionis partes.

*FVlget in vlna, humeris, cubito, pedibus, manibuſq́,*
*Necnon & capite, & dorſo, nymboſus Orion:*
*Enſe quoque, ac clypeo: nec erit calcaneus extrá,*
*Baltheus, atque genu, quibus inſunt ſidera pulchra.*

Stellatæ partes Leporis.

Leporis partes.

*AVribus, & mento, medio quoque corpore, necnon*
*Lumbis, ac aluo, pedibus, caudáque relucet.*

Stellatæ partes Canis maioris, qui & Seirius, & Canicula etiam dicitur.

Canis maioris partes.

*LVcenteis ignis globulos Canis euomit ore,*
*Auribus, & capite, & collo, genibus, pedibúſque,*
*Pectore, cauda, humeris, femore, omni corpore ferme.*

Stellatæ partes Canis minoris, qui & Procyon, &

Ante-

Antecanis etiã nuncupatur.

Canis minoris partes.

*Paruolus iſte Canis, femore, & ceruice coruſcat:*
*Partibus in reliquis, tetra fuligine ſordet.*

Stellatæ partes Nauis, quæ etiam Argo dicitur, & Arca Nohæ.

Argo nauis partes.

*IN prora & puppi rutilat, medio quoque ſcuto,*
*Atque gubernaclo, ſolio, tranſtro, atque carina:*
*In mali ſtatione, ac ipſo denique malo*
*Sub medium: in paruis ſcutis, temonéque, necnon*
*In tenſo velo, poſitîſque ox ordine remis.*

Stellatæ partes Hydræ. quæ & Anguis dicitur.

Hydræ partes.

*ET capite, ac oculis, necnon & naribus, igneis*
*Hydra iacit: iacit & rictu, ceruice, geníſque:*
*Inſuper & collo: rutilam queis iungito caudam.*

Stellatæ partes Crateris, qui & Vrna, & Vas dicitur, ac Patera.

Crateris partes.

*ANſa, baſis, labrum Crateris, lucida ſeruant*
*Lumina: ſi non eſt mendax veneranda vetuſtas:*
*Quæ cœli ſtellas in formam rite vocauit:*
*Vt poſſent noſci, inq; vicem diſtinguier omnes.*

Stellatæ partes Corui.

Corui partes.

*STellatum collum, cum roſtro & pectore geſtat,*
*Extremúmque pedem, nec omittes protinus alam.*

Stellatæ partes Centauri, qui & Chiron etiam vocatur.

Centauri partes.

*IN capite, ac humeris, latere, armo, denique ſcuto,*
*Atque manu, femore, & cubito, poplite, ac pede, dorſo,*
*Necnon & lumbis, aluo, talóque, genúque,*
*Centaurus fulget: cum pectore, brachia iunges.*

Stellatæ

Stellatæ partes Lupi, qui & Belua, & Beſtia, & Fera dicitur.

*ASTRA capit iugulo, cauda, rictu, pedibúſque,*
*Ac aluo, femore, & poplite, armo, denique lumbis.* — Lupi partes.

Stellatæ partes Aræ, quę & Focus, & Thuribulum, & Lar dicitur, & Sacrarium.

*AD foculũ, & ſummam flammã, mediã inſuper arã,*
*Inq; baſi, ſtellæ variæ rutilántque, micántque.* — Aræ partes.

Stellatæ partes Coronæ Auſtralis

*QVòd paucas habeat parteis, & ſidera pauca,*
*Nobis idcirco eſt paucis tractanda Corona.* — Coronæ partes.

Stellatæ partes Piſcis Auſtralis.

*HVic cauda, & dorſum, necnon os, brachia, ſpina,*
*Effundunt placidos igneis, ac lumina mira:* — Piſcis partes.
*Sed ſatis hac in re verſatum: cætera trado.*

Quot apparentes ſtellas habeat, maximè in forma (vt loquuntur) viſibili, meridionalis quæque octaui cœli imago, hic ſcripta, & adnotata.

*NVnc quot habent ſtellas, auſtralia Signa, canamus:*
*Quãuis ſint pcùl, atq; oculis malè cognita noſtris:*
*Sed veterum hìc promitto ſequi veſtigia patrum.*
*Viginti atque duas ſtellas cenſetur habere*
*Cetus: portentum cœli, necnon maris ingens:* — Cetus.
*Quattuor Eridanus, triginta ſi ſuper addas:* — Eridanus.
*Auritum Leporem bis ſex bene ſidera pingunt:* — Lepus.
*Triginta ſtellis atque octo conſtat Orion:* — Orion.
*Ignibus octonis incendit Seirius orbem* — Seirius.
*Cum denis: Procyon triplici micat æthere flamma:* — Procyon.
*Et tribus ac quadraginta Argo eſt clara fauillis:* — Argo.

Octo

Centaur⁹. *Octo & triginta Centaurus sidera seruat:*
Ara. *Luminibus septem speciosa est Ara deorum:*
Lupus. *Stellis deinde nouem atque decem Lupus æthere splẽdet:*
Hydra. *Septem & viginti facibus spectabilis Hydra est:*
Coruus. *Coruus septenis, vt Crater: vna Corona*
Crater. *Australis, tribus atque decem longè ignibus ardet:*
Corona. *Vndeno notius decoratur lumine Piscis:*
Piscis australi. *Sed satis in Signis versatũ austrinalibus: ergo*
*His finem facio, ne sim verbosior æquo:*
*Sis tamen vsque memor, me informes linquere stellas.*

Summa stellarum omnium illustrium ac obscurarum plagæ australis octaui orbis, nunc nuper hic ex propriis imaginibus descriptarum.

Numerus stellarum plagæ australis octauæ Sphæræ.

*Octauæ Sphæræ regio, vocitata Latinis*
*Australis, stellas tercentum sexq́, decémque*
*Accipit: Astronomi classes ex ordine pandent:*
*Quos omni studio posthac euoluere perges:*
*Ne te prolixo dicar sermone morari.*

Quosnam cœlestis Sphæræ circulos designent hactenus descriptæ octaui orbis imagines, tam septentrionales quàm meridianæ.

Repetitiones autori summè exosæ.

*Si rerum cœli sacrarum captus amore,*
*Hic forte asse cupis cyclos excerpere Sphæræ,*
*Per quos iam positæ formæ, scriptæq́, figuræ*
*Excurrunt: vel quos designant limite certo:*
*Ad nostræ Sphæræ librum, te iure, secundum*
*Transmittam: ne sit crambe repetita molesta:*
*Inuenies illic, quod te legisse iuuabit.*

Admonitio in superiora.

*Hactenus astra tibi proprio sub nomine scripsi,*

Que

*Quæ ſparſim octauum lucentq́, micántque per orbem:*
*Nunc, forſan, cupidè affectas cognoſcere, certo*
*Non dicam numero, ſed forma & nomine, necnon*
*Et digito (ſi non pugnarent Numina) quæ ſint*
*Quæ ſuper exuſtas apparent vndique terras:*
*Quæq́, intra gelidum Capricorni ſidus, & axem*
*Imo ſubnixum vertuntur cardine mundi:*
*Orbis parte alia: quæ priſcis inuia tota,*
*Ac ignota fuit nimiùm, nimiúmque negata:*
*Ignotæq́, hominum gentes, incognita regna,*
*Commune ex vno lumen ducentia Sole.*
*Omnibus Aſtronomis olim, cùm pars ea cœli*
*Nota parum fuerit (ſub cyclo Acquante repoſtos*
*Excludo) ad certos homines te ſedulò mittam,*
*Qui, hinc annis aliquot (nimirum bis decies ſex*
*Plus minùs) intrepida vi, infracto pectore, & auſu*
*Herculeo, ſpretis monſtris, ac mille periclis,*
*Numine deducti Diuûm (quod credere par eſt)*
*Occultas terras, ignotum denique cœlum,*
*Nauibus explorare & equis cœpêre: fatentes*
*(Scitati à doctis) quòd verè partibus illis*
*Non minor eſt mundus, nec cœli lumine peior,*
*Quàm nobis: niſi quòd ſua ſtellis nomina non ſunt:*
*Ergo peregrinis cœlum hîc depingitur aſtris:*
*Quæ Notia Aſtronomi inſcripſerunt voce recepta:*
*Nuſquam in conſpectum noſtrum venientia: quãquam*
*Sublimis ſpeciem mundi, ſimileíſque figuras*
*Stellarum noſtris, pro magna parte referre,*
*Multi priſcorum paſsim monuêre: quod vnum*
*Nos doceant, videántque (precor) qui nauibus illuc*
*Contendunt, noua regna petunt, cœlúmque remotum*

Affectata multorum curioſitas.

Bona pars orbis terrarũ priſcis incognita.

Laus eorũ qui nouum orbẽ nobis aperuerunt.

Eximius autoris candor.

Nocte

*Nocte diéque adeunt, obseruant, atque salutant:*
*His ingens per me referetur gratia: summus*
*Ascribetur honos, cum fama, & laude perenni:*
*Sed satis hæc: alias nunc demum tradere pergo*
*Octauæ Sphæræ formas: quas docta vetustas*
*Et vero, & proprio conscripsit nomine Signa.*

Orbis Signorum quem Zodiacum vocant, imagines, & Asterismi in octaua Sphæra.

*Hic duodena tibi Signorum nomina (scripta*
*Zodiaco nostro) ratio deposcit, & ordo*
*Vt paucis iterum perstringam versibus: hæc sunt,*
Ordo & nomé Signorũ Zodiaci duodecim.
*Laniger, & Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
*Libra, Nepa, Arcitenens, Capricornusq́, Hydrochousq́,*
*Et duo cœlesti radiantes lumine Pisces.*
*Sena priora vocant Borealia: nempe quòd Arcton*
*Affectent: Australina alia: vt situs indicat, & pars.*
*Cætera Zodiacus noster facili ordine pandit.*

## Quibus stellis, quot, & qua parte, conformentur duodecim imagines Zodiaci, in octaua Sphæra.

Signi Arietis descriptio per stellatas eius parteis: cum numero stellarum ex quibus Signum totum conflatur.

*Signa quibus capiant stellas in partibus, audi:*
*Quótque habeant (si forte iuuat) cognoscito paucis.*
*Eximio Iouis assensu, fulgentibus astris*
Arietis partes stellatæ.
*Laniger accepit stellato vellere dorsum:*
*Cui subitò micuere aures, cervixq́, pedésque*
*Vnguifidi: ac miro radiauit lumine cauda:*
*Ventérque, & caput igniferis sub cornibus arsit:*

Queis

*Queis addes poplitem, femur, ipſos denique renes:*
*Vnde habet (vt veteres docuêre) aſtra octo decémque:* Numerus ſtellarum.
*Si cum formatis informes iungis & aptas:*
*Quod reliquis etiam debes aſcribere Signis.*

Signi Tauri deſcriptio per &c.

*QVa Tauri parte inſunt altæ cornua fronti,*
*Et qua demiſſo pendent palearia mento,*
*Atque vbi præduro diuiſa eſt vngula cornu,* Tauri partes ſtellatæ.
*Quáque genu, quáque & ceruix, & pectus, & armi,*
*Spináque, & ingenti ſe curuant ilia tractu,*
*Quâ auriculæ, necnon os, lumina, denique nares,*
*Ac latus, & validum iuncta ſuffragine collum,*
*Accendit Cytherea igneis, atque innuba Phœbe:*
*Effulſitq; nouis Taurus ſpectabilis aſtris:*
*Regalcis etiam ſtellas, & regia iura*
*Iupiter adpoſuit: nec Martis defuit ignis:* Numerus ſtellarum.
*Hinc ſtellas retinet decies quater, adiice ternas:*
*Vt nos Aſtronomi veteres docuere: ſed harum*
*Septem, quæ ferme poſtrema in parte relucent,*
*Vergiliæ, necnon Athlantides eſſe feruntur:* Vergiliæ.
*Sunt totidem in capite, atque Hyades dicũtur ab imbri:* Hyades.
*Quem (quoties regnant) ſunt paſſim effundere natæ:*
*Ni ſtellæ impediant calidæ, vt te ars ipſa docebit:*
*Nóſque alibi proprio tractabimus inde libello:*
*Si guſtum factum poſthac tibi dixeris iſtis.*

Signi Geminorum deſcriptio per &c.

*EFfulgent Geminis ſcapulæ, caput, vtraque palma:* Geminorũ partes ſtellatæ.
*Et cum clune vtroque, latus, coxæq; tenellæ:*
*Quáque lacertoſo curuantur brachia nodo:*
*Necnon bubones, cubiti, poplites, humeríque:*

*Genuáque, ſummotíque pedes: quos parte propinqua*
*Irradiat (quo vix cœlo eſt illuſtrius) aſtrum:*
Numerus ſtellarum. *Hinc Gemini fratres bis denis ſéxque fauillis,*
*Aetheream lucem noctu iaculantibus ardent.*

Signi Cancri deſcriptio per &c.

Cancri partes ſtellatæ. *ORe ignes, pedibúſque ignes, & pectore, & ipſa*
*Cancri ſuccendit teſta, pater optimus olim:*
*Quinetiam ignauos illi cælauit Aſellos:*
*Et ſtatuit Præſepe: ac nube infecit opaca:*
*Infamémque notam dorſo ſignauit aduſto:*
Numerus ſtellarum. *Atque decem ſtellis Cancrum fulgeſcere iuſſit:*
*Si treis adiungas, vt ſcripſit docta vetuſtas.*

Signi Leonis deſcriptio per &c.

Leonis partes ſtellatæ. *SIdereis flammis ſurſum eſt accenſa Leonis*
*Belua: cui rutilat caput, & micat aurea ceruix*
*Ignibus: ac fulget claro ſpina ardua dorſo:*
*Splendent & nares, collum, axillæ, os quoque, venter,*
*Necnon & lumbi, clunes, poplites, femur, & ῥάξ,*
*Iliáque, incuruíque pedes, & cauda, genúque:*
*Necnon illuſtri pectus regale ſub aſtro:*
Numerus ſtellarum. *Sícque inſigne decus ſe toto ſidere fundit:*
*Quod ſtellis quinque ac triginta lucet ad vnguem.*

Signi Virginis deſcriptio per &c.

Virginis partes ſtellatæ. *PRoſpice qua parte ingens ſeſe proferet aſtrum*
*Virginis, id dextrâ cerealia munera geſtat:*
*In quibus eximio candeſcit lumine ſidus:*
*Sunt alæ, quibus à violento ſe hoſte recepit*
*Stellatæ: radiant obſcuris ignibus aſtra*
*Quæ extremæ reparant ſinuoſa volumina pallæ:*

*Collucet*

*Collucet facies, coxæq́, natésque, genúque,*
*Et manus, atque latus: speciosum denique pectus:*
*Non humeros pater ipse (igneis ne despice tantos)*
*Non caput, ingressúsque pedum, non brachia liquit*
*Obscurata: micant cœlo hic spectanda sereno* Numerus
*Sidera, & ardenti scintillant lumina flamma:* stellarum.
*Vnde astris fulget terdenis atque duobus.*

Signi Libræ descriptio per &c.

*IVpiter eximiis flammis ter summus, vtranque* Libræ partes stellatæ.
*Incendit trutinam, trutinæque volubilis hastam:*
*Quam stellis octo voluit lucere, nouémque.*

Signi Scorpij descriptio per &c.

*ILle idem, effigiem Scorpi (quò singula sursum* Scorpij partes stellatæ.
*Luce micent, nec sit vacuũ per sidera corpus)*
*Armauit flammis, & sparsit lumine caudam:*
*Oráque, pectoráque, ac fundentem incendia ventrem:*
*Et cum fronte pedes: queis dorsi iungito spinam:*
*Vt confles Signum ex viginti & quattuor astris.*

Signi Sagittarij descriptio per &c.

*HOc Centaurus habet meritum virtutis, vt arcum* Sagittarij partes stellatæ.
*Insignem stellis, clarámque sub ære sagittam,*
*Illustrémque manum, cubitúmque insignibus astris,*
*Et caput, & fluuo radiatum sidere pectus,*
*Genuáque, tergoráque, & caudam referátque, gerátque:* Numerus
*Adiunges oculos, necnon femur, insuper & crus:* stellarum.
*Ex quo trigenos igneis iaculatur & vnum.*

Signi Capricorni descriptio per &c.

*NAres huic efflant candenti lumine flammas:* Capricorni partes stellatæ.
*Ac caput, & cerui rutilantibus ignibus ardent:*

*Cornuáque hirſutâ ſpargunt in cendia fronte:*
*Et pectus radios fundit, ventérque, pedéſque:*
*Necnon innumeris ſcintillant terga fauillis:*
*Accenditque globos flammarum cauda retorta:*
*Nec prætermittes humeros, dorſi quoque ſpinam:*
Numerus ſtellarum. *Quæ ſtellas octo & viginti ſingula reddunt.*

Signi Aquarij deſcriptio per &c.

Aquarij ſtellatæ partes. *VRniger in cœlo miranda luce refulget:*
*Namque coma eximiis circum caput emicat aſtris:*
*Reſplendent humeri radianti ſidere, & ignes*
*Clunibus effundit, femore, & cotyle, manibúſque:*
*Deînde vtrumque genu, cubitúmque vtrumq; pedeſq;*
*Necnon & lumbos, necnon & crura coruſca*
*Suſtinet: ac variè roſeus per membra relucet*
*Fulgor, & egregiis ſcintillant ignibus artus:*
*Quin dextrà, læuáque, hinc illinc ſtellifer amnis*
*Labitur: & rutilo radiat fluor aureus imbri:*
Numerus ſtellarum. *Sidereáſque vehit ſinuoſum flumen arenas:*
*Hinc quadraginta cum quinque amplectitur aſtra.*

Signi Piſcium deſcriptio per &c.

Piſciũ ſtellatæ partes. *ET dorſo, & pinnis Piſces, & tergore toto,*
*Oréque, caudaq; inſperſis ſimul ignibus ardent:*
*Necnon & capite, aluo, nexu, denique ſpina:*
*Quos inflexa breui diducit linea tractu:*
*Alter vt ad Boream ſurgat: cadat alter ad Auſtrum:*
*Illa quidem triplici flexu, triplicéſque per igneis*
*Fulget: & hinc claro nexum dat in æthere nodo:*
Numerus ſtellarum. *Quòſit vt igniculos decies ter fundat, & octo.*

Sequuntur aliquot ſtellæ, quæ & in iam poſitis Signiferi Aſteriſmis, & ſuprà ſcriptis octauæ Sphæ-

ræ ima-

ræ imaginibus, tam boreis, quàm auſtrinis lucent. Quarum nomina ſicuti frequentiſsima ſunt apud priſcos rerum cœli, agri, & medicinæ ſcriptores: ita magnos vſus, & incredibiles commoditates de obſeruatione adferre ſolent: ſiue res corporis, terræ, aut aeris ſpectare voles.

*NOn ignorabis, quòd ſunt radiantibus ipſis*
*Cœlorum in Signis, poſitíſque hîc ordine formis,*
*Inſignes ſtellæ, longo vſu, anniſque probatæ:* Cornua
*Queis omnes docti concedunt plurima: ſiue* Arietis.
*Sementem ſpectes, ſeu motus acris: & quæ* Pleiades.
*Plantantur, viuunt, ſeruantur: denique cauſas* Hyades.
*Morborum varias, & eorum tempora. Primùm,* Oculus Tauri.
*Cornua Lanigeri ſua geſtant ſidera: poſt quæ* Capita Gem.
*Pleiades Tauri dorſo ſex eſſe videntur:* Propus.
*Fronte ſedent Hyades fundendis imbribus aptæ:* Præſepe.
*Cum quibus eſt oculi Taurus, ſpectabile ſidus:* Aſelli.
*His addes capitum Geminorum lumen vtrumque:* Cor Leonis.
*Deînde Propum illorũ pedibus ſtratum, atque iacentem:* cauda.
*Quæ in Cancro nubem referunt Præſepe vocantur:* dorſum.
*Móxque duo circum Præſepe feruntur Aſelli:* ceruix.
*Regia ſtella nitet generoſi in corde Leonis:* Spica Vir.
*Altera ineſt caudæ, nec dorſi neglige ſidus:* Protrygeta.
*Nec quod ceruicem reparat candore venuſto:* Lanx Libræ.
*Virginis è ſummæ dependet Spica ſiniſtræ:* Frõs Scorpij. & cor.
*Sed Protrygeta ſubit prope dextram Virginis alam:* Cauda Capric. caput & frons.
*Vtraque Lanx Libræ rutilum ſidus capit vnum:* Palma Aquarij & crus.
*Scorpi frons aliud: nec cordis deſpice ſtellam:*
*Nec quam cauda gerit ſplendore per omnia notam:*
*Nec quam cauda Capri, necnon caput occupat, & frons:*
*Nec quas in dextra, & crure, vnus Aquarius offert:*
*Quæ Piſces tractim connectunt, vincula dicunt.*

Aquila. *Extra Signiferum veniunt, Aquilæq́, Lyræq́,*
Lyra. *Sidera: queis iunges & eas quas Fusio præstat:*
Fusio aquæ. *Ac dorsum maioris Equi, clarámque Coronæ:*
Dorsum Equi. *Pes, & vterque humerus quos fert nymbosus Orion*
Corona. *Illustres stellis cernuntur, vbique coruscis:*
Pes & humeri Orionis. *Arcturi lampas rutila est, humeróque sinistro*
*Heniochi, residet sidus pluuiale Capellæ:*
*Inq́, manu læua geminus discernitur Hœdus:*
Arcturus. *Seirius inde, Canis maioris splendet in orc:*
Capella. *Cui datur vna comes pulcherrima stella minoris:*
Hœdi. *Noscere si reliquas de prisco nomine gestis,*
Seirius Procyon. *Sic satis eximium sidus seruántque, gerúntque*
Cetivéter, naris, cauda. *Ceti tum venter, tum naris, denique cauda:*
*Cum quibus hìc nolim te fundum spernere Vasis:*
Fundum vasis. *Nec fulgens astrum, quod lucida dicitur Hydræ:*
Lucida Hydræ. *Nec Coruinam alam, nec dorsum nobilis Vrsæ:*
Ala Corui. *Nec caput Herculeum: pectus quoque Cassiopeæ,*
Dorsum Vrsæ. *Cum cauda Cygni: quibus addes, & latus vnum*
Caput Hercul. *Persêi: quódque solet vulgò inscribi caput Algol:*
Pect⁹ Cassiopeæ. *Ac Serpentigeri palmam, caput insuper: atque*
Cauda Cygni. *Andromedæ vmblicum: & quæ prisci muscida fertur*
Latus Persei. *Pegasis: ac maioris Equi longè radians crus.*
Palma Serpentigeri, & caput. *Tu reliquas (ne sim prolixus) noscere perges,*
*Maturo studio, ex doctis scriptoribus, ad quos*
*Assidua accedet per te obseruatio: rerum*
*Vera parens cœli: quam tempus firmat, alítque.*

Summa stellarum omnium illustrium ac obscurarum quę in duodecim imaginibus Zodiaci octauę Sphæræ continentur.

*Signifer interitus rerum, vitaq́, volumen,*
*Bissenis miro rutilans ex ordine formis,*

*Stellas*

*Stellas ter centum ac decies quater accipit, & ſex*
*Exacto numero: ne dicar longus, omitto*
*Claſſes, Aſtronomis (ni fallor) ſedulò ſcriptas:*
*Quos potes, & debes omni percurrere cura.*

Sũma ſtellarũ omnium Zodiaci.

Octauæ Sphæræ imagines, quas tam in orientali quàm occidentali Horizonte, comites ſecum habent & deducunt, Signa omnia Zodiaci (vt ſũt duodecima pars Signiferi, hoc eſt gradus triginta complectuntur) tantiſper dum acronychè, ſeu vt loquũtur, chronicè exoriuntur: aut (ſi mauis) poſt Solis occaſum ſupra Horizontem aſcendunt: præſertim in Lutetiano Finitore & vicinis: Res, cùm ad alia multa, tum ad explorandam toto anno cœli faciem perutilis, ac iucunda. Poterit etiam ad alios Signorum exortus facile aptari, & accommodari.

Imagines octauæ Sphæræ, exortu Arietis cœleſtis, per noctem, aut aliter, ſurgentes, ac labentes.

*Hic, quo quæque modo conſurgant Signa, cadantq́;*
*Necnon quas comites deducant ordine formas,*
*Verſibus expediam, facilis ſi venerit alma*
*Vranie: vatémque ſuum non ſpernat Apollo:*
*Quando Aries oritur, Perſeus ſe tollit in altum,*
*Cum boreo Piſce, & parte Heniochi: quibus adde*

Exortu Arietis orientes & occidétes imagines.

*Pinnas Pistricis caudæ (dixere priores*
*Cetum) sed Spica, opposita tum valle, recedit.*

Imagines octauæ Sphæræ cum toto Tauro &c.

Cũ Tauro oriẽtes & occidẽtes imagines.

*A Verso Taurus per cœlum corpore fertur:*
*Quo scandente, celer properat bene scãdere Perseũs*
*Totus: & Heniochus pariter, si demitur vna*
*Dextri planta pedis, saltem per climata nostra:*
*Nec partem capitis Ceti, caudam quoque totam*
*Excludes: vt quæ cum Tauro surgat & erret.*

Imagines octauæ Sphæræ cum Geminis &c.

Cũ Geminis orientes &c.

*C Vm Geminis totus Cetus, partésque priores*
*Eridani scandunt: cúmque his stellatus Orion*
*De palma: Arctophylax etiam descendere tentat:*
*Ac vtrumque pedem Anguitenens demergit in vndas.*

Imagines octauæ Sphæræ cum toto Cancro.

Cũ Cancro orientes, & occidentes imagines.

*E Xoriens Cancer, partem apparere Coronæ*
*Dimidiam vetat, Engonasíq; caput: mouet idem*
*A nostro visu, totum ferme Anguitenentem:*
*Ipsiúsque Anguem: sed caudæ extrema relinquit:*
*Oppositа parte, exurgit pluuiosus Orion*
*Cum Canis, & Leporis capite: ipsa denique tota*
*Effusi Eridani lympha, cum flumine toto.*

Imagines octauæ Sphæræ cum toto Leone &c.

Cũ Leone oriẽtes & occidẽtes imagines.

*H Aec cum magnanimo nascuntur Signa Leone:*
*Auritus Lepus, & Procyon, & Seirius ardens:*
*Insuper horrendæ, & portentosæ caput Hydræ:*
*Ac bona pars nauis, quæ priscis dicitur Argo.*
*Arctophylax contrà totus, pars denique Teli,*

*Delphini,*

*Delphini, atque Lyræ, descendit: & vna negatur*
*Luminibus nostris Aquila importata deorsum,*
*Necnon Engonasis: secludo genúque, pedémque*
*Læuum: quòd nondum æquoreo se gurgite mergant.*

Imagines octauæ Sphæræ cum tota Virgine &c.

*VIrginis ascensu Nauis tota, Hydráque tota*
*Ferme consurgit: cui Crater additur vnus:*
*Oppositá sed parte latent hæc sidera: Delphin,*
*Totus Olor (cauda dempta) simul ipsa Sagitta,*
*Atque Chelys, Nilíque prior pars: Pegasus autem*
*Cum capite abscondit collum: bona denique Ceti*
*Pars deôrsum tendit: sursum pars altera fulget.*

Cũ Virgine oriẽtes & occidẽtes imagines.

Imagines octauæ Sphæræ cum tota Libra &c.

*CVm Libra Spica exoritur, totúsque Bootes:*
*Prætérque extremam caudã, tota Hydra videtur:*
*Ac medium Engonasis corpus, necnon caput Anguis:*
*Queis addes Coruum, rutila comitante Corona:*
*Quid vis hæc vltrà? ceruicem Cetus aduſque*
*Descendit totus: pariter caput occulit vndis*
*Andromeda: Eridaníque cadit pars maxima deôrsum.*

Cũ Libra orientes & occidẽtes imagines.

Imagines octauæ Sphæræ cum toto Scorpio &c.

*SCorpius ascendens, hæc secum Signa reducit:*
*Partem Serpentis magnam, necnon Ophiuchi:*
*Cúmque Lyra, Cygnum ferme (alam tollo sinistram)*
*Insuper Engonasim totum, spectabile sidus:*
*Verum, ex aduerso penitus se occultat, & aufert*
*Andromede præclara, pedes si excluseris, atque*
*Deltoton latitat, necnon Lepus, & Canis ipse*
*Maior: cui, parte ex meliore, addatur Orion.*

Cũ Scorpio orientes & occidẽtes imagines.

Imagines

Imagines octauæ Sphæræ cũ toto Sagittario &c.

Cum Sagittario oriẽtes &c.

*ARcitenens oriens Ophiuchum ascendere cogit:*
*Ipsiúsque Anguem totum, atque Lyram ordine totã:*
*Deînde Aquilam totam, cum toto denique Telo:*
*Insuper, & Cygnum totum, Delphináque ferme.*
*Ast hæc dum peragit, dum sursum cogitat ire:*
*Tunc Argo nauis deôrsum perreptat: Orion*
*Totus abit: fugit Heniochus femorum tenus, atque*
*Dimidia Procyon ex parte, vno quoque crure*
*Perseûs, cum portentosa ceruice Medusæ.*

Imagines octauæ Sphæræ cum toto Capricorno &c.

Cũ Capr. orientes & occidẽtes imagines.

*AEgoceros producit Equum, cogítque videri,*
*Saltem de capite & pedibus: claræ Andromedesq;*
*Profert brachiolũ, atque pedem: quod dum facit, Hydræ*
*Occiduas lapsu celeri descendit ad vndas*
*Si caudam tollas: Crateris denique fundum*
*Ac totus Procyon latitat, tellure sepultus.*

Imagines octauæ Sphæræ, cum toto Aquario &c.

Cum Aquario oriẽtes &c.

*HAec Signa apparent dum calcat Aquarius ortũ:*
*Tota Medusæi cumprimìs membra Caballi:*
*Et tota Andromede: necnon pars optima Perseî:*
*Sed non comparet Crater: & Coruus ad ima*
*Festinat: tortísque recedit flexibus Hydra:*
*Nec se spectandam præbet, toto æquore mersa.*

Imagines octauæ Sphæræ cum Piscibus &c.

Cũ Piscibus oriẽtes & occidẽtes imagines.

*DVm gemini Pisces oriuntur, surgit in altum*
*Piscis qui notius vulgato nomine dici*
*Consuevit: cui adde ex meliori parte Trigonum:*
*Adde etiam Heniochum medium: addito Perseа totum*
*Ferme:*

*Ferme: nil supereſſe puto quod ſcire labores:*
*Nam cœptus rediit fœliciter orbis in orbem.*

Admonitio in ſuperiora.

*FOrſitan hîc cupies paucis agnoſcere, quando,*
*Et quo menſe, diéque, ſuũ modò ſidera ſcripta*
*Exortum occaſúmque dabunt: quod crebrò, diúque,*
*Multi (ceu magnum quiddam, ſumméque probatum)*
*Ex me conceptis precibus perſæpe rogarunt:*
*Si fueris patiens, ac dixeris hæc tibi grata:*
*De libro, cui nomen fecimus Aſtrophaneia,*
*Quidquid id eſt, magno accipies cum fœnore tandem.*

Sũma autoris diligentia in rebus cœli explicãdis.

Quot ſtellas in ſumma, totus orbis cœlorum octauus, duabus regionib⁹ ſuis accipiat: imò verò cœlum vniuerſum.

*SI fortaſſe cupis de me cognoſcere paucis,*
*Quot recipit ſtellas octaui regia cœli,*
*Signis Zodiaci aſſumptis, aduerte, docebo:*
*Millenis adiunge duas, necnon decies bis,*
*Et quod ſollicitè quæris, numerabis ad vnguem:*
*His rurſum, ſi vis ſeptem ſociare Planetas:*
*Quot ſunt in toto dignoſces ſidera cœlo:*
*Ni nobis priſci ſcripſerunt falſa magiſtri:*
*Nam (veluti dixi) numerum numerare nequiui.*

Numerus omnium ſtellarum cœli.

Imaginum octauæ Sphæræ in natiuitatibus exorientium, aut occidentium decreta & apoteleſmata: ex Marco Manilio rerum cœli Poeta antiquiſsimo, & Iulio Firmico, necnon Iouiano Pontano,

## Pontano, ad verbum ferè decerpta.

Orionis, seu Iugulæ exortu nati.

Venatores impauidi.

*QVeis Iugulæ aperiunt auras, & clarus Orion,*
*Illi in speluncis, syluis, & rupe cauata*
*Excipiēt vrsum impauidi: & venabula cōtrà*
*Exponent: densísq; actum de saltibus aprum*
*Non formidabunt: nec sæua animalia quæque:*
*Venatus iuuat audaces, timidos procul arcet.*

Aucupes.

*Gaudebunt & equis, auibus præde, canibúsque.*
*Hos animos magis, atque magis Mauortius ignis*
*Accendet, rutilo si fortè aspexerit astro:*
*Annuat & placido facilis quoque Iupiter ore.*

Virgines venatrices.

*Haud etiam si qua hoc ipso sub sidere virgo*
*Lucem hausit, dubitet sæuarum lustra ferarum*
*Aut ferro petere, aut saltus intrare ferinos:*
*Quinetiam monstra vndisoni fluitantia Ponti*
*Sollicitant nati, ferratis vndique contis:*

Piscatores

*Atque trahunt pelago persæpe humentia lina:*
*Aut alta scopuli è specula, fixum ære tridentem*
*Expediunt: ferróque gregem, & pecuaria Proteî*
*Per costas, per terga forant: fluit æquore sanguis:*
*Tantùm adeo Iugularum ortus, per tela, per enseis,*
*In syluis, in speluncis, & in æquore sæuit:*
*Præsertim si falce senex radiarit ahena:*
*Iratus pelago, iratúsque sonantibus vndis.*
*Insuper Orion velocia corpora fingit,*

Agiles corpore, mēte vagi, & anxij.

*Atque agilem officiis mentem, & perlubrica corda.*
*Adde, quòd & natum format, variúmque, vagúmque:*
*Quique animi dubius, & mentis percitus oestro,*
*Turbatis agitur stimulis: vexatur & altis*
*Curis: quæ mentem paritérque & pectora torquent:*

*Principis*

*Principis ille aulas, & limina ſæpe frequentat:* Aulici.
*Diſcurſátque foro, & populos rumoribus implet.*

Eiuſdem occaſu nati.

*PRonus in oceanum labens nymboſus Orion,*
*Quando oritur partus, vitaléiſque accipit auras:*
*Exercet mentem curis, verſátque agitando*
*Huc illuc, trepidos reuocans in corda tumultus:*
*Munera quinetiam populi dum tractat, & abſens*
*Orator peragit magni mandata Senatus,* Oratores & legati parum fortunati.
*Infœlix procul à patria, chariſque propinquis*
*Decumbet moriens: tamen hæc ſolatia ſecum*
*Haud ingrata feret: celebri concluſus in vrna*
*Condetur populi lachrymis: poſitúſque ſepulchro*
*Ornatur titulus, noménque refertur in actis.*
*Hæc dat nonnullis: aliis diuerſa minatur:*
*Huic, quòd poſt varia, & ſuſpecta pericula, ſomno* Noctu iugulandi: adhæc homicidæ.
*Dum fruitur, gladio, aut ſtricto iugulabitur enſe:*
*Illi, quòd multos cædet, multóſque necabit,*
*Non ſine ſupplicio: quod Martius efficit ignis*
*Cum Iugula pontum inuiſens, Cancrúmque fatigans.*
*Hæc loca ſi pater Idæus, ſi Cypria virgo*
*Inſideant: cum cœruleos it Cancer in amneis,*
*Nonnihil has frangunt furias: & læta reponunt:* Ferarum morſibus obnoxij.
*Aſt erit à rabidis canibúſque, feriſque timendum.*

Ceti exortu nati.

*SI Cetus primo faueat naſcentibus ortu,*
*Spectabit natus pelago volitantia lina:*
*Aequoreos piſceis clauſis retinentia ſeptis:* Piſcatores
*Is ſecum oceanum, oceani & viuaria geſtat:*
*Ac ſtrata pelagi exuuias deponit in alga:*

*Sæpe*

Ichthiopolæ. *Sæpe etiam Solem ad rapidum, fumósve calentes*
*Suspendit pisceis salsos: pérque oppida mittit:*
*Aut perfert: it salsa maris fora per vaga merces:*

Salinatores. *Forsitan & salis arenteis durare lacunas*
*Cura erit: atque salem varios componere in vsus:*
*Squămigerum & populum extentis laqueare frequēter*
*Retibus: ac pontum vinclis armare feracem.*

Eiusdem occasu nati.

Periclitātes ex piscatione. *OCcumbens Cetus nascentis tempore partus:*
*Si vel de radio, vel corpore Martius ignis*
*Falciferiue senis præsens spectabitur esse,*
*Ex modò descriptis damnum minitabitur ingens.*

Arcturi exortu nati.

Fideles & honesti. *HVic signo studium fidei, & reuerentia honesti*
*Certa subest: hinc illa fides nascentibus hæret:*
*Et veri non fictus amor, generosaq; cura:*
*Hinc illis & opes Regum credentur, & æra,*
*Et tyriæ vestes, auri & pretiosa supellex:*

Gazophylaces & Regū atrienses. *Hinc census patrij à populo custodia, & omnis*
*Publica thesauri cura his mandabitur: iidem*
*Custodes forium fient: & ad hostia Regum*
*Stabunt: vt trepidos clament ad iussa Quirites:*
*Si radij fuerint infausti sideris illic.*

Eiusdem occasu nati.

Incarcerati, agricolę, & mēdici. *OCeano se præcipitans Arcturus, vbi ignis*
*Martius afflarit, Saturni & noxia pestis,*
*Supplicio infami afficiet natum bene vinctum,*
*Confectúmque priùs squallore, & carcere tetro:*
*Proscindet tauro segetem: sua condet aratro*
*Seminaque:*

*Seminâque: & toto victum petet anxius orbe:*

Aquilæ exortu nati.

*QVãdo Aquila exoriẽ, quiſquis mittetur in auras,*
*Non pacem à bello, ciuem diſcernet ab hoſte:*
*Ipſe ſibi lex eſſe volet: quocunque voluntas* Præcipites & violenti.
*Præcipitem dederit, violenta mente feretur.*
*Et ſi fortè bonis acceſſerit impetus auſis,*
*Improbitas fiet virtus: is condere bella,*
*Et patriam poterit magnis ornare triumphis.*
*Regis erit, magníue ducis per bella miniſter:* Bellatores, & copiarũ præfecti.
*Ingenteíſque ſuis præſtabit viribus vſus:*
*Sæpe feras curſu exagitat, ſyluíſque fatigat.*
*Huic ſi fœlicis radios Iouis addidit ignis,*
*Ille domum exuuiis decorabit, templa trophæis:*
*Sin Mauors, aut Saturni atteſtabitur aſtrum,*
*Arma quidem, pharetraq́, placent: hinc fortibus auſis* Fortes & magnanimi.
*Laus erit: hinc celer æratas ad ſigna Tribunus*
*Sub duce diſponet turmas, aliena frequentans*
*Imperia: aut Regum, vt dixi, data iuſſa capeſſens:*
*Namque Ioui: ſacrata Aquila, illi tela miniſtrat.*

Eiuſdem occaſu nati.

*AT cùm ſe oceano immerſat, merſabit & vndis*
*Naſcentem: quare & fonteis, & flumina vitet:*
*Vſque adco occumbens ſæuit Iouis impiger ales:* Submergendi.
*Aſſuetúſque auræ, ponto indignatur & vndis.*

Nauis exortu nati.

*NAui quiſquis erit terris oriente creatus:*
*Rector erit puppis: clauóque immobilis hærens*
*Mutabit pelago terras: ventíſque ſequetur*
*Fortunam: totumque volet tranare profundum* Nautæ.

*Claßibus:*

*Classibus: inque mari cœlorum quærere fata.*

Eiusdem occasu nati.

Periclitãtes in mari.

*AST vbi se oceano intingit, si frigida cani*
*Stella senis radios impegit fortè nocenteis:*
*Natos haud rarò nigrantibus acta procellis*
*Haurit hyems: latus aut scopulo diffringit acuto.*

Leporis exortu nati.

*DVm Lepus attollit leuibus vestigia plantis*
*In cœlo, volucrem celerátque per æthera cursum:*
Pedites pstrénui, ac cursores. *Tunc quicunque nouas captabit luminis oras,*
*Ille pedum cursu celeri certauerit Euro:*
*Præuertens volucres, ac si esset præditus alis:*
*Hic stadio sese exercens, vbi Martius ardor*
*Affulsit, vocet ipse pedum in certamina ceruos:*
*Et pretium victor referet plaudente theatro:*
Agiles, & corpore flexiles. *Nobilis est disco: & totos quoque flexilis artus:*
*Atque breui facilis gyro concludere corpus:*
*Huic se si socium addiderit Cyllenius heros,*
*Præstringet ludens oculos, vt certa videnti*
Præstigiatores, & circulatores miri. *Mox fiant incerta: tibi quod dextra gerebat*
*Ostentet iam læua: fuit paulò antè quod aurum*
*Transeat in liquidum sub eodem tempore plumbum:*
*Stuppa vomat nigrum fumum, quæ poma rubebant*
*Fiant castaneæ: baculus vertatur in anguem:*
*Effluat & subitus nullo de vulnere sanguis:*
*In nihilúmque abeat digitis quam strinxerat offa:*
*Et (mirum) ipse suo de gutture ventilet igneis:*
*Ille pilam validis impellet viribus: ille*
*Folliculum excussò iaciet per inane lacerto:*
*Brachiáque assiduo quatiet sudantia ludo.*

*At quo-*

*At quoties Cytherea illum complexa fouebit,*
*Non dcêrit tibi qui ſaltet per compita: quiq;*
*Mimum agat: & molli tencat ſpectacula cantu:* Saltatores & mimi.
*Perſonam quamcunque volet ſimulare peritus.*
*Quòd ſi Mercurius Leporem, Venus inſuper alma*
*Aſpiciant, faueátque ſuo Saturnius aſtro,*
*Ille nouas arteis ſolers tractabit: & ipſo*
*Perficiet ſtudio quidquid deſiderat vſus:*
*At ſi liuenteis radios impegit iniqui*
*Stella ſenis, fundátque atrum de ſidere virus,*
*Sponte ſua natus charam patriámque, lareſque* Patriæ et parentum neglecto.
*Deſeret: agnatúmque ſolum, cineréſque parentum*
*Negliget: excludens curam, ſtudiúmque ſuorum.*

Eiuſdem occaſu nati.

*SI Lepus Heſperiam petit, occidua æquora lambens,*
*Promittit magno natis alimenta labore:* Pauperes.
*Quòd ſi fortè minax longè aduerſabitur aſtrum:*
*Vix à ſe poterit denteis arcere ferarum.*

Procyonis exortu nati.

*CVi Procyon ſeſe natali protulit ortu:*
*Is non vmbroſos ſaltus indagine cingit:*
*Nec canibus celeres agit arcta in retia ceruos:*
*Spicula ſed latóque parat venabula ferro:*
*Nodoſaſq; plagas, pedibus quoque vincula nectit:* Venatorij artifices.
*Ac ſatagit ſtudio catulos nutrire ſagaces:*
*Et quodcunque ſolet venandi poſcere cura.*

Eiuſdem occaſu nati.

*HIc vbi in Heſperium deſcendit ab æthere pontum:*
*Et rabiem Martis ſentit: dum luſtra ferarum,*

Futuri auium & ferarũ prædã.

*Dum latebras natus petit, & venabula iactat*
*Incautus: per inerme latus, pérque ilia dentem*
*Accipiet spumantis apri: tractúsque per arua*
*Præda auibus, præda ipse feris, lanianda iacebit:*
*Vix mater dispersa locis inuenerit ossa:*
*Quæ mandet terræ, lachrymans: condátque sepulchro:*
*Forsitan & morsu rabidi canis abdita venis*
*Dira lues aget in furias, corpúsque resoluet.*

Lyræ exortu nati.

Cõcordes et iustitiæ cultores

*Assurgente Lyra, & plectrum ducente per ortum:*
*Quotquot nascuntur, mirè concordia seruant*
*Pectora, concordésque animos: sunt ciuica curæ*
*Iura: placent leges, pactis stant, æqua probántque,*
*Ac torquent sontes, & duro crimina nexu*
*Plectunt: atque foro iusti dominantur vbique.*

Musici & cantores

*His voces insunt doctæ, bellèque sonantes:*
*Necnon & cantus inter conuiuia dulces:*
*Et quodcunque manu loquitur, flatúque mouetur.*

Eiusdem occasu nati.

*At si vergentem oceano: atque Athlanta prementem*
*Falce Lyram, si fortè minax percusserit astrum,*
Carnificis manu vexandi.
*Occidet infami læto natus: vel enim aspro*
*Carnifice extortúsque diu, tractúsque catenis*
*Cum gemitu vitam effundet: foráve ipsa cruore*
Cremandi & ignibus deuouẽdi.
*Fœdabit lacer: aut animam crepitantibus auris*
*Nigrantem fumo, atque ambustam torribus atris*
*Efflabit: tantùm occiduo Lyra sæuit ab orbe.*

Heniochi exortu nati.

*Quando nascenti iuga primùm tollit ab vndis*
*Heniochus,*

*Hemiochus, cliuóque rotas conuellit ab imo,*
*Dat natis proprium ſtudium: crebróque miniſtrat*
*Quas priùs in terris agitator amauerat arteis:*
*Stare leui curru moderantem quattuor ora* — Aurigę et equites.
*Spumigeris frenata lupis: & flectere equorum*
*Prædalidas vireis, ac preſſa ſtringere calce.*
*Quid vis hæc vltrà? natus ſub ſidere tali,*
*Mobilitate vigens dorſo deſultor equino*
*Adſtratus, torquet celerem poſt terga ſagittam:*
*Mox haſtam terræ accliuis leuat, & iacit: inde* — Bellatores ex equo.
*Deſilit alterius dorſo leuis: alteriúſque*
*Preſſat equi coſtas: & latos perforat armos:*
*Nunc humilis, nunc elato ſe pectore tollens:*
*Nunc ceruice ſuper: duplici modò tergore fuſus,*
*Huc illuc agitat curſum, & ciet agmina dextrâ.*

Eiuſdem occaſu nati.

*SI verò ſubito occaſu merſatur in vndas:*
*Infœlix tunc exitium meditatur, & axe* — Precipitâdi curru, equo, ruina ex alto, vel fulmine.
*Excuſſo rapit auulſos de corpore truncos:*
*Ac circum Iliacos lacerum trahit Hectora muros:*
*Aut parat immani fatum crudele ruina*
*Fulminis aerij, aut flamma, vel turribus altis.*
*Infami nunc ſupplicio ſuſpendit: & arctis* — Suſpêdio afficiendi et ſtrangulandi.
*Faucibus eliſos agitanti ventilat aura.*
*Hæc, & deteriora ferox Auriga minatur,*
*Cùm malè fœlici occumbens radiatur ab aſtro.*

Crateris exortu nati.

*CRater apparens eoa pulcher in arce:*
*Inde trahunt quicunque genus, ſunt moribus iſtis:* — Bibaces ac ebrij.
*Primùm, his eſt genialis amor, ſtudiumq; bibendi:*

*His paterâ ſalit eximium ſpumante falernum:*
*Crateréſque auri inſignes vndante Lyæo:*
*Lætantur vino, merguntq; in pocula mentem:*
*His Baccho læti colles: flexæq; ſub vlmis*
Vinitores et hortulani. *Pendula textilibus nectunt vmbracula vites:*
*His & nexilibus videas è frondibus hortos:*
*Necnon frondentes è ramis ſurgere turres:*
*Nec minùs irriguos fontes per opaca vireta*
*Inſtrepere, & ductos non vna in brachia riuos:*
*Piſcoſas quoque ſub tectis fluitare lacunas:*
Agricolæ et mercatores piſcarij, ac cereales. *Quinetiam aruorum cultus, & cura ſerendi*
*Hos iuuat: atque agri ſtudium non ſegne nouandi:*
*Horreáque annoſa Cereris: iuuat humida mercis*
*Mutandæ ſpecies: ſtagno ſeu vecta liquenti:*
*Seu quam deprompſit dies fluuiúſve, palúſve.*

Eiuſdem occaſu nati.

*ILle idem in cœlo occiduo, ac refluentibus vndis*
Inter pocula, lauãdum, aut nauigãdũ tollendi. *Oceani, facilem læta inter pocula mortem*
*Afferet: ac ſubito turbabit funere meſas:*
*Si quæ ſtella nocens inuiderit, humida fata*
*Portendit: nam Lenæo ſub gurgite, ſiuel*
*Flumine ſub vitreo, calidóue in fonte lauantem,*
*Siue cauo putei gradientem abſorbet hiatus:*
*Aequora ſeu longis ſindentem cœrula remis.*

Cygni exortu nati.

*PRimis exoriens Cygnus natalibus, omni*
Aucupes, & auium magiſtri. *Inſidias auium generi, per retia tendit:*
*Aucupiúmque docet: molleíque inflectere cantus:*
*In cauſis, noſtras varianti & gutture voces*
*Reddere, & humanam referentia murmura linguam.*

*Idem*

*Idem tutelæ populi, domibúſque regendis*
*Hos modò, nunc illos moderandæ præficit vrbi.*
*Inſuper aereum populum, cœlóque dicatum*
*Alituum genus, ad ſtudium, cenſúmque reducit.*

Aediles et œconomi

Eiuſdem occaſu nati.

*ILle obiens, aliena quidem ſpoliare parantem,*
*Et prædas agitantem, hoſtili carcere damnat:*
*Siue reum furti, fraudiſue, dolíve miniſtrum*
*Plectit: & auſteras Prætoris concitat iras.*

Cauſidici, et iuſtitiæ miniſtri.

Pegaſi exortu nati.

*PEgaſus exoriens triſteis in pectore curas*
*Naſcentûm ingeminat, caſu & poſcente labores:*
*Nunc hoſtem inſectantur equis: nunc hoſtica caſtra*
*Explorant: curſu inſignes, & pectore magni:*
*Nec verò pedibus tantùm, ſed & acribus alis*
*Pegaſus inſiliit campo, & ſeſe intulit auris:*
*Ingenium hinc natis velox, & rebus agendis*
*Dexteritas, ac cura vigil, mens denique præceps:*
*Conglomerant & equo gyros: dorſóque ſuperbi*
*Ardua bella gerunt, vario cum milite mixti:*
*His artis medicæ, ac herbarum notior vſus:*
*Queis ſunt illuſtres multùm: queis ægra ferarum*
*Corpora, queis hominum morbos, & vulnera curant:*
*Quandoquidem aſſûetus pratis, aſſûetus et herbis,*
*Illorum ſtudia ingenerat: nec inutile ſucci*
*Præſidium, paritérque & opem mortalibus adfert.*

Pugnãtes ex equo, et agiles.

Hominũ ac animaliũ medici

Eiuſdem occaſu nati.

*PEgaſus oceani præceps delapſus in vndam:*
*Excutit aut curru lacerum, aut è calce cruentum,*

Equis aut curru præcipitandi.

*Aut dorso iectum, stygias deturbat ad vndas*
*Pallentem, & vanos fundentem è pectore questus.*

Hœdorum exortu nati.

Molles, lasciui, et inertes.

*QVeis Hœdi tremulum producunt æthere mentum*
*Nascendo: & lentè cœlo spaciantur aperto:*
*Imbelles agitat multùm lasciuia sensus:*
*Hi leuibus gaudent: turpis sed inertia mentem*
*Occupat: & molles surgunt in pectore curæ:*
*Triste supercilium est sub vultu, & fronte minaci:*
*Est animus luxu languens, & deside somno:*
*Cor fictum, obscœni mores, petulánsque libido:*
*Armorum turpis fuga, nobiliúmque laborum:*

Mortẽ sibi cõsciscentes.

*Hinc mortem sibi consciscunt persæpe nefandam:*
*In vulnus nunquam virtus, sed fœda libido*
*Impellit: turpísque emitur, vel morte voluptas.*

Pastores.

*Addunt & cultus pecorum nascentibus Hœdi:*
*Pastorémque suum generant, cui fistula collo*
*Pendeat, & voces alterna per oscula ducat:*
*Præterea vario peragunt in amore iuuentam:*
*Tantùm mollities Hœdorum, & fidera possunt:*

Scortatores, lasciui, et ludiones.

*Dant qui intérque epulas, & serta madentia vino,*
*Scortáque, & incæstos thalamos, vnguenta, rosamq́;*
*Viuunt: & vacuis mulcent proscenia ludis:*
*Delitiæ his frangunt animos, præcépsque cupido:*
*Consilium incertum est, varians sententia semper:*
*Mens nunquam secura, nouas dans anxia curas.*

Eorundem occasu nati.

Ex altò præcipitandi.

*SI forte occiduus minitantur finibus Hœdi*
*Concubitus fuge nocturnos: summásque feneſtras:*
*Tectorum ingenteis lapsus, fossáq́; profundum:*

Præci-

*Præcipitéſque locos, impoſtáque rupibus antra:*
*Neu te ſollicitent funambula ludicra, neu te*
*Intortis capiant agitata rudentibus arma.*
*Saturnus ſi forte minax aſpexerit, ipſo*
*Infœlix infans partu morietur: vt ægram* — In partu moriẽtes.
*Vix ope nixa ſua ſeruet Lucina parentem.*
*Cedetur miſer ante aras, & victima cultrum*
*Imbuet, ac fuſo placabit ſanguine Diuos,*
*Si Mars forte ſuum præſens vibrauerit enſem:*
*Nec Iouis, aut Veneris fœlix eat obuius ignis.*

Coronæ exortu nati.

*EOis quando ſenſim tollentur ab vndis*
*Cara Ariadneæ quondam monumẽta Coronæ:*
*Dant natis ſtudium gratorum ſemper odorum:*
*Hinc faciunt vnguenta, & florea ſerta coronant:* — Mulierоſi, & vnguẽtarij.
*Mundities indigna viro his, cultúſque puellæ eſt:*
*Et lenocinium vitæ, præſénſque voluptas:*
*Vnde etiam occultus ſub pectore paſcitur ignis:*
*In vetitúmque ruunt, & amor noua vincula nectit:*
*Porrò, colunt nitidis vernantes floribus hortos:* — Hortorũ cultores et delitioſi.
*Liliáque, & Tyrias imitata papauera luces:*
*Gemmantíſque roſæ rubicundo ſanguine florem:*
*Cœruleum foliis, viridemq́ in gramine collem:*
*Præterea, variis depingunt prata figuris:* — Vnguẽtarij medici et odorarij.
*Ac medicos vnguenta parant referẽtia flatus:*
*Vt ſit adulterio fucorum gratia maior.*

Eiuſdem occaſu nati.

*MErgentem ſeſe oceano quicunque Coronam*
*Viderit ipſe oriens: primo ſub flore iuuentæ*
*Occidet: expoſitúſque feris damnante Senatu,*

Feris deuouendi, et in iuuétute tollendi.

*Pro tumulo faucésue canum, aut rabida ora leonum*
*Accipiet: tumulo Saturnus condet, vbi ipsa*
*Insedit loca: seu grauibus mala sidera Signis*
*Aduersos iaciunt radios, & fata minantur.*

Delphini exortu nati.

Vrinatores et natatores egregij.

*CVm se de ponto tollit Delphinus in auras:*
*Ambiguus terræ partus, pelagóque creatur:*
*Nam velut ipse citis perlabitur æquora pinnis,*
*Sic venit ex illo quisquis, volitabit in vndis:*
*Et vada mentitus reddet super æquora campum:*
*Pendebítque super totum sine remige pontum.*

Eiusdem occasu nati.

Inter natandú morientes.

*AT cui Athlantæo Delphin condetur ab orbe:*
*Saturníque malum sidus minitabitur, ille*
*Ille mari, vluosóue lacu, seu flumine in alto*
*Mersus, in æternam condet sua lumina noctem:*
*Vmbráque nocturno errabit per littora gressu.*

Hyadum exortu nati.

Tristes, et curis confecti.

*QVando Hyadum chorus eois emerget ab vndis:*
*Dat natis nisi triste nihil: non corda quietem,*
*Non animi facileis somnos, non mẽbra soporẽ*
*Accipiunt: nam cura nouos parat vsque labores.*
*Hos crebrò populi fauor, & plaudentia rostra*
*Sollicitant: ferere arma inter plebémque, patrésque*
Seditiosi et factiosi.
*Hos iuuat: & positos rursum instaurare tumultus:*
*Ciuileisque manus armare, & stringere ferrum:*
*Tantùm seditio placet, atque domestica bella:*
Turbuléti valde.
*Non decrit populo luctus, foráue ipsa quiescent*
*Turbinibus, quoties vrbis moderentur habenas.*

Earundé

Earundem occaſu nati.

*DVm triſtes amnem Heſperium petiêre ſorores,*
*Diffuſáſque comas, ſitienti & gutture collum*
*Immerſêre vndis: queis aut Mauortius heros*
*Innatet, aut nigri inficiat tum tabe veneni*
*Saturnus liuenti oculo, liuentibus vrnis:*
*Inde gregis ſtudium nati, atque armenta ſequuntur* — Armẽtarij et paſtores
*Errantes: lætus canit ad multralia paſtor:*
*Illos exitium infœlix, violentáque fata*
*Expectant: ruptos artus, laniatáque membra,* — Capite plectendi.
*Auulſumue caput ceruici ſæpe queruntur.*

Sagittæ exortu nati.

*CVi fauet eoa ſurgens de parte Sagitta:*
*Inſignis iaculo fiet, celeríque ſagitta:* — Inſignes ſagittarij cũ in aere, tũ in aqua
*Continget poſitum quocunque in limite ſignum:*
*Ille etiam ſpeculantem alta de turre columbam*
*Deiicit aeriæ contorto verbere fundæ:*
*Squammoſúmque ferit violento vulnere piſcem.*

Eiuſdem occaſu nati.

*QVem procul occidua vidit de parte Sagitta*
*Naſcendo, radiis percuſſa nocentibus æquè,*
*Æquè præſidio nitens, & fortis amico:*
*Ille vnus ſtragémque inter, cædémque virorum* — Qui ĩ bello moriũtur, aut vẽduntur.
*Deficiens cadet, antè actis ex hoſte trophæis:*
*Vulneribúſque ſuis, illata & morte ſuperbus*
*Vendetur miſer, aut fœdabit ſanguine arenam*
*Indigno pretio, ſi Mars, ſi penniger Arcas*
*Hæc loca coniunctâ ſoli ditione tenebunt.* — Gladio vitam finientes.
*Aſt hunc damnatum caueæ ad ſpectacula vulgo*
*Obiicier, gladiíque dabit Saturnus ad vſum.*

*Simalè*

*Si malè fœlici aduersans minitabitur astro.*

Caniculæ exortu nati.

*CVm ferus in vastos surgit Nemeæus hiatus,*
*Exoritúrque Canis, latrátque Canicula, flammas*
*Spargens igne suo, geminansq; incendia Solis:*
*Si quem nascentem primo prospectat in ortu,*
Iracundi audaces et rabidi. *Incendit flammis, & pectora concitat æstu:*
*Hûic ira, hûic rabies ingens, ingentibus ausis*
*Ingentes ardent animi: imperiosa cupido*
*Nil æquum patitur: feruet sitis arida habendi:*
*In facinúsque vocat, violentáque tela ministrat:*
*Nil pietas mouet, aut amor, aut reuerentia Diuûm:*
*Ante os est animus, dentes in voce relinquit:*
*Mentem lingua rapit, frendet, latratq; loquendo:*
Vinoléti, violéti ac temerarij. *Ardescit vitio vitium, viréque ministrat*
*Bacchus: & in flamma sæuas excusitat iras:*
*Nec sylvas, rupésque timet, vastósque leones:*
*Aut spumantis apri dentes, armáque ferarum.*
*Ne taleis mirere animos sub sidere tali:*
*Cernis vt ipsum etiam sidus venetur in astris,*
*Prægressum quærens leporem comprendere cursu.*
*Ast illi sese si Martius addidit ignis:*
Igni, aut feris exponendi. *Syluas, atque feras, necnon incendia vitet:*
*Quòd si pernicioſa senis substrinxerit ensem*
*Dextra, nec ipsa suos illi subduxerit igneis*
*Delia, nascetur mediis qui in saltibus vrsum*
*Attentet: qui frondosis in vallibus apro*
*Congrediatur: & inclusa decertet arena.*

Eiusdem occasu nati.

*HIc vbi ab occasu rabido adlatrauerit ore:*

*Infœlix*

*Infœlix nato exitium parat: vnde ferarum*
*Dente lacer cadet in ſyluis, vrſíue, lupíue*
*Præda: vel audacis laniatus dente leonis:*
*Si Mauors validam aſpiciens concuſſerit haſtam.*

A feris dilaniandi.

Engonaſis exortu nati.

*Effigies innixa genu naſcentibus adfert*
*Hos oriens animos: ſunt fraudũ crebrò magiſtri:*
*Necnon per noctem denſa graſſantur in vmbra:*
*Inſidias tendunt: ſpoliant, viuúntque rapinis:*
*Corporáque extento iaciunt pendentia func:*
*In gyrum cogunt artus, & cærea membra:*
*Pérque enſes ducunt nudis veſtigia plantis:*
*Si Mars, & Dictynna ſuis ſpeculentur ab aſtris.*

Graſſatores nocturni, et funãbuli.

Eiuſdem occaſu nati.

*Ille idem occumbens, ferrum, inſidiaſq; minatur:*
*Si Mauors quoque fulmineam contorſerit haſtam,*
*Natos flamma furens, ventóque agitata fauilla*
*Vſtulat: & picei toſto de viſcere fumi*
*Exurgunt: ſerpit ſuccenſis oſſibus ignis*
*Feruidus: atque imis crepitant incendia venis.*

Ferro, aut igni perdendi.

Aræ exortu nati.

*Ara Deũm nitidis ſurgens venerabilis aſtris,*
*Per te caſta placent: per te plebs templa ſalutat:*
*Per te Diuorum cultus, reuerentia caſti:*
*Et ſummus ſacrorum honor, & ſanctiſſima templa*
*Regnant: & raſi vates diuina per orbem*
*Diſpergunt præcepta piis mortalibus: atque*
*Iuſtitiam implorare docent, non temnere Diuos:*
*Exoriens hæc ipſa tuum facis Ara per aſtrum:*
*Si faueat pater altitonans, ac nata Tonantis.*

Sacerdotes et templis præfecti.

Eiuſdem

Eiusdem occasu nati.

Sacrilegi et prophani.

*ARa obiens, si Saturnus, si bellicus heros*
*Adfuerint, tu sacrilegos, tu sacra prophanos*
*Affligis pœnâ meritâ: & mala crimina purgas:*
*Adiicis & templis: ac voti vincula nectens*
*Obstringis sacris: & sacros scedula ritus*
*Ostendis: prohibet quoties has Iupiter iras.*

Capræ exortu nati.

Formidolosi et timidi.

*QVeis Capra in primo nascentibus astitit ortu:*
*Hos ingens formido, & consternantia longè*
*Cõsilia, incursans q3 tremor per mẽbra, per artꝰ*
*Occupat: his leuibus mens ipsa exterrita causis*
*Effingítque, audítque graueis instare tumultus:*
*Scitatúrque nouas res, & sectatur easdem.*

Eiusdem occasu nati.

Agri diuites, sed deorum cõtẽptores.

*ILla cadens, & cùm Hesperio se gurgite tingit,*
*Rustica nascenti dat prædia (rura capellæ*
*Nanque colunt) dat opes, atque ipso in littore partas*
*Naufragiis: procul aut ripis fluuialibus actas:*
*Nam colit hæc ripas, gaudent & flumina ripis.*
*Religio sed spreta Deûm, violatáque templa*
*Infamant: aris pollutáque dextera sacris.*

Andromedæ exortu nati.

Carcerum custodes, & carnifices.

*QVisquis in Andromedæ surgentis tempore ponto,*
*Mittitur in lucem, veniet pœnæq3 magister:*
*Carceris & duri custos: legúmque minister:*
*Supplicium vectigal erit, dolor ipse voluptas:*
*Non lachrymæ effusæ, non denique munera flectent:*
*Huic vincla & tormenta placent, duræq3 catenæ:*

*Carnifi-*

*Carnificéſque manus, virgæ, enſis, ſæua ſecuris.*

Eiuſdem occaſu nati.

*HEſperia ſi parte cadit dum naſcitur infans*
*Andromede: obiiciétque feris: & corpora truncis*
*Affigens, animam extremis cruciatibus offert:* Carceribꝰ deſtinādi.
*Perpetuis etiam vinclis, & carcere tetro*
*Damnabit: ſi fortè minax hinc, inde benignum*
*Stet ſidus dubio certans vtrinque fauore.*

Anguis exortu nati.

*HIc Marſos dabit exoriens: qui vulnera cantu*
*Qui ſanent morſus, ac multos carmine morbos:*
*Et qui Pæoniis ſuccis medicentur & herbis:* Carminibus & ſuccis medicantes.
*Qui ferro atque igni: referántque Machaona dextra.*
*Non inimica facit ſerpentum membra creatis:*
*Nam capiunt ſinibũſque ſuis, peplóque fluenti:* Serpentū aucupes.
*Oſculaq́ horrendis iungunt impune venenis.*

Eiuſdem occaſu nati.

*AST vbi ad Heſperij tendit vada lubrica ponti:*
*Letaleis paſſim morbos, & vulnera dente*
*Tabifico meditatur: & atro felle ſagittas*
*Intingit, miſcétque malum per pocula virus:* Venenis infames.
*Menſas boleto vitians, pariterq́ veneno.*

Pleiadum exortu nati.

*HOs nati mores referunt, queis cœtus ab ortu*
*Pleiadum aſpirat: Bacchũ, Venerémque ſequũtur:* Luxurioſi, illecebroſi, ac molles et effœminati.
*Illis cura ſui vultus, frontíſque decoræ*
*Semper erit: referentq́ & olentia tempora ſertis:*
*Luxúſque, illecebræq́ placent: ac aurea crinem*
*Fibula ſubnectit: roſeo inſuper exitet ore*

*Eximius,*

*Eximius, blandúſque decor: ſimiliſque puellæ*
*Cultus: & aſſyriam redolent lita pectora myrrham:*
*Vina placent, hilaréſque ioci, & petulantia linguæ:*
*Mordacéſque ſales: intinctáque verba veneno:*
*Semper amant, & cura nouos excuſcitat igneis:*
Ambitioſi, et Sardanapali. *Ac domito regnat victrix in corde libido:*
*Nec minùs ambitio tenet, ac certamen honorum:*
*Sed generis nimium, & nimium citò pœnitet illos:*
*Vnde in fœmineam cupiunt tranſire figuram:*
*Pumicibúſque cauis horrentia membra polire:*
*Semper amare parum eſt, cupiunt & amare videri.*
*Aſt oritur quoties Phœbe complexa nitentes*
*Pleiades, claros reddit, magnóſque fauore:*
Pugnaces et copiis præfecti. *Cui ſi Cunctipotens fœlix, vel Cypria fauſta*
*Ignibus aſtiterint, Mauortia ſigna ſequuti*
*Implebunt validas numeroſo milite turmas:*
*Multáque fœlici committent prælia dextra,*
*Ductores auro inſignes, oſtróque decori:*
*Multa mari quoque bella gerent: ac cæde rubentem*
Decollandi. *Nerea, ſpumantes ſpectabunt ſanguine fluctus:*
*Fœlices, ſi non irato principe, tandem*
*Accipiant iugulo gladium, aut ceruice ſecurim:*
*Vmbraq́, lethæos fleat indignata per amneis*
*Deſeruiſſe ſolo lacerum, & ſine nomine truncum.*
*Hæc eadem exoriens, denſiſque inſerta choreis*
*Pleiadum, ſi Saturni mala vulnera ſenſit,*
*Et fuerit luce exhauſta, ac vix cornibus extans,*
Cœci, & oculis capti. *Heu ſortem miſerandam, & non ſuperabile fatum:*
*Capti oculis nati vitam ſine lumine ducent.*

Earundem occaſu nati.

*SI quis in occaſu triſtes, cœlóque cadenti*

*Pleiades*

*Pleiades videat, mergentes gurgite crineis,*
*Infestétque malum sidus, radiisque nocentes*
*Percutiant: undas timeat: nec fluctibus vllis*
*Confidat: fluuiósue petat remo impiger altos:*
*Ne latus allidat scopulis, victúsque procellis*
*Naufraget: & vili moriens tumuletur in alga.*
*Si fœlix simul, infœlíxque aspexerit astrum,*
*Ille inter cyathos positus, vinóque sepultus,*
*Purpureóue toro recubans, & virginis arcto*
*Fusus in amplexu, dum mollia gaudia captat,*
*Et Venus ex imis stillat resoluta medullis,*
*Illius in roseis linquet sua fata labellis.*

Periclitãtes in aquis.

Inter bibendum, aut cõcũbendũ morientes,

Perſei exortu nati: et item occaſu.

*HOc surgente, aliquis veniens in luminis auras,*
*Si Phœbus quoque Gorgoneo sese extulit ortu:*
*Si Mars infœlix telo rutilante lacessat*
*Quo Sol, aut quo Luna loco est, dominúmque locorum:*
*Nec fœlix stella occurset, cœlóue cadenti*
*Sese agat occasum versus, miseranda minatur:*
*Nam caput auulsum collo violenta bipennis*
*Auferet, vt media truncus spectetur arena:*
*Aut etiam excisis manibus, pedibúsue iacebit:*
*Vulnere seu crudo illachrymans, & corpore toto*
*Languens Phœbum incusabit, Dictynniáque arma:*
*Si medio cœlo Phœbe lunauerit arcum:*
*Vsqueadeo Inachides in nostra pericula sæuit.*

Decollãdi et mutilandi.

Centauri exortu nati.

*QVos oriens Centaurus habet sibi fœdere iunctos:*
*Hos currus, & frena iuuant: iuuat insuper acrem*
*Quadrupedẽ moderari, & aperto ĩmittere cãpo:*
*Quinetiam*

Aurigę et equiſones

Bellatores

*Quinetiam si Mars stricto minitabitur ense*
*Bella ciens, bellum exercent: armísque decori*
*Pugnatoris equi costas, & terga fatigant:*
*Hostiléque acies, aut hasta, aut ense lacessunt:*
*Sin Arcas celer aspiciat: quæsita per artem*
Medici armentarij. *Auxilia ægroto pecori, succumq́, medentes*
*Admiscent: necnon morbos & vulnera curant.*

Eiusdem occasu nati.

*ISthæc Hesperio Centaurus mittit ab orbe,*
*Iratus quoties sæuo aduersabitur astro*
*Bellipotens: aut Saturni falx horrida sæuit:*
Quadrigis, et ex alto deturbandi. *Nascens ex altò ruet: ac de culmine labens*
*Vix Diuûm auxilium implorat: præcepsque quadriga*
*Excutitur: lacer ipse feræ aut immanis hiatu,*
*Siue ferocis equi violento vulnere tactus,*
*Lethæos mœrens portus petet: at bene cautus*
*Quadrupedes ad se tuneat properare citatos.*

Cassiopes exortu nati.

*TAlia Cassiope nascentûm pectora fingit:*
Aurifices ingeniosi. *Aurifices oriens faciet: qui in mille figuras*
*Vertere opus possint: carníque acquirere dotem:*
*Materiæ & lapidum viuos miscere colores:*
*Hinc augusta nitent sacratis munera templis:*
*Hinc lenocinium formæ, cultúsque repertus*
*Corporis: atque auro quæsita est gratia fronti:*
*Pérque caput ducti lapides, per colla, manúsque:*
*Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla:*
Metallorũ effossores, et chimistæ. *Ac ne materies tali sub munere desit,*
*Quærere sub terris aurum, furtínque latentem*
*Naturam eruere, ipsumque orbem inuertere, multis*

*Imperat:*

*Imperat: ac glebas inter deprendere gazam:*
*In vitámque nouo tandem producere cœlo:*
*Ille etiam fluuas auidus numerabit arenas:*
*Concoquet argenti glebas, venámque latentem*
*Eruet: & filicem riuo saliente liquabit:*
*Ac facti mercator erit per vtrunque metalli:* Mercatores et monetarij.
*Alterum & alterius semper mutabit in vsus.*

Eiusdem occasu nati.

*AH vtinam oceani nunquã se tingat in amne* Mors ex ruina, & gladio.
*Occumbens: nunquã telo, nunquã ense minetur:*
*Aut è præcipiti fatum crudele ruina:*
*Non esset cœlo spectatior altera virgo:*
*Nec quæ plura suis peperisset commoda natis.*

Piscis austrini exortu nati.

*QVando se ortiuo producit in æquore Piscis:*
*Quisquis erit tali capiens sub tempore vitam:*
*Ille, vt paulatim tulit ætas, auia montis*
*Nulla petit: nulla ipse feris venabula torquet:*
*Littoribus tantùm assistit: Neptuniáque antra* Piscatores et natatores.
*Sola placent: solis gaudet piscator arenis:*
*Audet & irato sese committere ponto:*
*Necnon Nereidum thalamos intrare repostos:*
*Tritonum penetrare domos, Glaucíque recessus:*
*Littoribus, ripísque suos is conteret annos:*
*Pendentem & cæco captabit in æquore piscem.*
*Cúmque suis domibus conchas, ac ostrea ducet:*
*Quinetiam occultos pelagi aduentare tumultus,* Astronomi et vates.
*Incũbant quibus aut cœli de partibus Euri,*
*Quáue die cogant atro se turbine nubes,*
*Immineántque hyemes ponto, prædicet ad vnguem.*

Eiusdem occasu nati.

*Ille idem properans tumido se immergere ponto:*
*Si coniunctus erit Marti, rigidóue parenti,*
*Ex modò descriptis tristissima fata minatur.*

Spicæ exortu nati.

*Aduersos mores, & pectora dura per ortum*
*Spica dabit, frumenta feret, graue figet aratrum:*
Agricolę, et fœneratores. *Mella fauis expressa liquet: nihil vsque remittens,*
*Ad vitæ varios vsus quod sedulò prosit:*
*In fœnus sataget semen committere terris:*
*Vsurámque sequi maiori sorte receptis:*
*Atque parare nouis cellas, ac horrea granis.*

Eiusdem occasu nati.

*Dat varios animi motus, & pectora turbat*
Laborioſi et anxij. *Occasum dum Spica petit: dat & vsque labores:*
*Cui falcem si fortè senex subiecit ahenam*
Famelici. *Iratus, miserámque famem, illuuiemque minatur:*
*At Mauors furti damnat: populóque reposcens*
*Annonam, dictis & pœna crimen acerbat.*
*Illi nil Arcas, nil proderit aurea virgo,*
Suſpendiũ ex latrocinio. *Quin pendat factum suspenso corpore furtum:*
*Et, populo spectante, miser det sanguine pœnas.*

Cephei exortu nati.

*Qui cernet primo surgentem Cephea cœlo*
*Natus, huic dabitur frontis sua ruga seueræ:*
Seueri, & asperi. *Et dura imperia, & vultu mens aspera tristi:*
*Qualem se Censor, qualem se Porcius olim*
*Romanóque foro, & rostris popularibus egit:*
*Hunc non vana iuuant, potiùs iuuat inclyta virtus:*
*Contemptórque animus, munitáque pectora recto:*

*Et*

*Et Manlij iussa, & Bruti irreuocabile pectus:*
*Detestata notat Regum scelera improba lege:* Tragici.
*Ac tragico exclamat per pulpita docta cothurno:*
*Ast si blanda Venus radios, Cyllenia que astra*
*Adiicient, paritérque & candida lumina fundent,*
*Comica componet lætis spectacula ludis:* Comici.
*Ardentes iuuenes, raptásque in amore puellas:*
*Elusósque senes, agilésque per omnia seruos:*
*Sin aliter, satyro populum consperget aceto:* Satyrographi.
*Hinc acer Venusinus amaro sublita felle*
*Verba iacit, risu intingens: hinc rugat Aquinas*
*Triste supercilium, vomit & de pectore bilem:*
*Necnon & iuuenis mordax, sale sparsus Etrusco:*
*Forsitan & populi mores describet, & arteis*
*Liberiore ioco ludens, risumq; mouebit:* Derisores.
*Spiculáque in salibus tinget derisor amaris.*

Eiusdem occasu nati.

*CEpheus in pontu labens, & Athlantide in vnda*
*Occumbens, fatum in scopulis crudele minatur:*
*Aut primo sæuus nascentem extinguit in ortu:*
*Aut vnco iugulum trahit: atque euiscerat artus* Citò morientes & incestuosi.
*Dilanians: miseranda quidem mors illa videnti.*

Admonitio in præcedentia summè notanda.

*TAlibus, atque aliis, seu declinantia in Austrum,*
*Siue ad Hyperboreum surgunt quæ sidera tractum,*
*Exercent hominem fatis: mentéisque orientûm*
*Sensibus afficiunt variis: variósque agitatus*
*Dant animis: vnde & varios formantur ad vsus:* Sũmè notanda et obseruãda.
*Estq; suum cunctis studium, & sua cuique voluptas.*
*Sæpe tamen vis firma animi, resq; extera, léxve,*

*Aut genus, alternant fatum: quod iure notabis.*
*Præterea obliquo septem quæ lumina cyclo*
*Currunt, sideribus magna addunt antè relatis.*
*Sed summè cuperem pro summa id lege tenendum,*
*Quòd magis illustres formarum ex ordine stellæ,*
*Et quæ Signiferum propiùs spectantur habere,*
*Maiores retinent vires, maioraq; possunt:*
*Quod vel ad ipsa etiam transfundes schemata tota:*
*Quæ & si diuitias ingenteis, atque triumphos*
Vide Claud. Ptolem. Aphor. 29. *Dant sæpe: imperiúmque ima de plebe creato:*
*Et seruos solio statuunt, sceptrísque decorant,*
*Ah non fida manent, certo nec fœdere perstant:*
*Nam quantùm cœlo hæc tolluntur schemata summo,*
*Quóque loco maiore aliquẽ statuêre, magísque*
*Erexere, atque ex imis ad summa tulere,*
*Hôc magis affligúntque, solo calcántque iacentem:*
*Ac hominem statuunt misera ad spectacula tandem.*

Conclusio, cum pulcherrima paraclesi ad μυσογελάνθς Epicureos, cœli & rerum illius præstantissimarũ osores, ac derisores summopere deridendos.

*HAec sunt quæ potui dæ cœlis scribere paucis:*
*Altius his nihil est: sedes excludo beatas:*
*Publica Naturæ domus, amplis finibus hisce,*
*His tam præclaris, tam firmis, tam pretiosis*
*Tectis, vel potiùs stellatis mœnibus, altè*
*Est vallata: quibus Pontum, terrásque iacenteis,*
*Aeráque, incluſit Diuúmque, hominúmque potestas.*
Mira Dei prouidentia in mũdi constitutione. *Et suprà, ac infrà, vitaleis addidit igneis*
*Vndique: quos prisci stellas ac Signa vocarunt:*
*Necnon stellatas formas, rutiláque figuras.*
*Sed ne corporeas illis ascribito parteis:*

Non

*Non carneis, neruos, venas, non oſſea membra:*
*Nec credas omneis ſimili ſplendeſcere ſurſum*
*Luce: nec æquales nobis iacularier igneis:*
*Nec toto plenas profundere corpore flammas:*
*Non poſſet mundus ſufferre incendia tanta,*
*Non lucem tantam (ô Numen mirabile cœli!)*
*Omnia ſi plenis fulgerent ſidera membris:*
*Sat Natura habuit formas diſiungere formis:*
*Et ſtellas ſtellis oſtendere, ſidere ſidus:*
*Ac varios paſsim deſignare ignibus igneis:*
*Et non vt vulgi ferretur fabula cœlum:*
*Vt viſum eſt doctis aliquot, multúmque peritis.*
*Ergo vides, qualis, quanta, & quàm denique pulchra,* Philoſophica de ſtellarum numero et viribus.
*Sit ſtellata cohors: & quàm miro ordine perſtet:*
*Cui ſi pro numero vires Natura dediſſet:*
*Ipſe ſuas Aether flammas tolerare nequiret:*
*Totus & accenſo flagraret mundus Olympo.*
*Aſt tanto in numero, nil tam eſt mirabile nobis,*
*Quàm ratio, & certis quòd legibus omnia fiant:*
*Nuſquam turba nocet: nil illis partibus errat:*
*Latiùs, aut leuiùs, mutatóue ordine fertur:*
*Hîc quiduis conctans, hîc eſt concordia concors:*
*Nullum diſsidium, nullæ inuidiæq;, tumultus*
*Nulli: quiſque ſuas parteis ſequiturque facítque*
*Ex animo: nulli cóguntur: lex ibi nulla eſt,* Mira cœleſtis harmonia.
*Quæ pœnas ſtatuat, fiunt hîc ordine cuncta:*
*Cuncta ſuum patrem agnoſcunt: ac iuſſa magiſtri*
*Vel ſolo nutu, facili bonitate ſequuntur:*
*Quod videant homines: & ſe ſub imagine tali*
*Componant: moreſque ſuos ſcrutentur in aſtris.*
*Ergo, animal ſanctum, mentíſque capacius altæ,* Pulchra

ad μυσου-ράνιους homines digressio.

*O mortalis homo, sursum tua lumina mitte:*
*Astra tuam vitam formabunt, te astra docebunt.*
*Illa Deo parent hodie, parent velut olim:*
*Tu contrà: quod eis præceptum est, semper, & vltro*
*Implerunt: tu contra: perplacidè, atque libenter*
*Illa suos motus, & lucida lumina, mundo*
*Ac tibi dant gratis, quocunque receſſeris orbe:*
*Tu contrà gressus nullos, vestigia nulla,*
*Lumina nulla moues, vt id vnum agnoscere possis:*
*Illa tuis rebus vigilant, noctésque, diésque,*
*Absque errore vllo, seruatóque ordine semper:*
*Tu contrà Veneri vigilas, furtísque, dolísque,*

Hęc legãt & videant multi rerũ cœli osores.

*Nil meditans, nullo cœlum dignatus honore,*
*Nullo prospectu, sine quo non est tibi vita.*
*O curuas in terram animas? ô pectora cæca?*
*O deprauatos mores? ò ferrea secla?*
*O bipedes talpas? ô mundi sordida monstra?*
*Sed frustra (vt video) cum verbis tempora perdo:*
*Surdos conueniens Epicuri de grege porcos:*
*His ergo ad cornos missis, & tartara Ditis,*
*Te, cœlestis homo, cui sunt cœlestia cordi*
*Paucis affabor: vana tellure relicta*
*Aspira sursum: ac cœlum incipe noscere quid sit:*
*Sanè ego te cupio paruo, modicóque labore*
*Ingentem lucem iusta ratione videre:*
*Quod cernes Deus est: perge ergo scandere sursum:*
*An dubium est habitare Deum per sidera cuncta?*

Mirus autoris labor in excitãdis ingeniis ad re-

*In cœlum remeare animas, cœlóque venire?*
*Vos, ô vos, astris nati fœlicibus: atque*
*Sortiti meliorem animam (diuina propago)*
*Hæc terrena instar nebulæ proponite vobis:*

*Et quæ*

*Et quæ post annos aliquot mors omnibus aufert,*
*Ne multùm curate, ac spem ne figite in illis:*
*In terris quæcunque placent, sunt omnia sordes:*
*Quas stulti, & scelerati homines, pecudúmque sodales*
*Optant imprimis: atque has bona maxima censent:*
*Propter quæ subeunt discrimina mille: cientq;*
*Prælia: & exponunt stultißima pectora morti:*
*Terrenis igitur terrena hæc linquite: porci*
*Lætentur cœno: placeant cœlestia vobis:*
*Terra putre hospitium est: patriam Deus æthere vestram*
*Constituit: patrias optate inuisere sedes:*
*Qui ad terram accedit, cœlum fugit: æthera amare*
*Nemo potest, nisi sit terreno exutus amore:*
*Sed pauci, heu, nimiùm pauci contemnere possunt*
*Hæc terrena: alísque animi, se attollere cœlo:*
*Cur? quia difficile est (fateor) sed præmia magna,*
*Efficiunt facilem, atque leuem quẽcunque laborem.*
*O cœlum eximium? ò pulcherrima regia Diuûm?*
*Quàm pura es, quàm perspicua, ac spectabilis, & quot*
*Vndique sideribus variis ornata reluces?*
*Ergo homo, te cognosce, genus qui ducis ab astris:*
*Et cœlos reclama, quorum in te lucet imago:*
*His gaudeto bonis, quæ non Deus inuidet vlli:*
*Quæque dedit toti spectacula publica mundo:*
*Omnibus vt possent sursum nosci: & venerari*
*Ille, per illa, bonus, sanctus, iustúsque, piúsque:*
*Cui fuit, est, & erit per sæcula cuncta, triumphus.*

rum cœli studia, & cõtemplationem.

Rerũ terrenarũ studium multos auertit à rerũ cœli cõtemplatione.

Mirũ autoris desiderium in prouocãdis hominibus ad cœlestis philosophiæ studia.

*FINIS.*

# ANTONIVS MIZALDVS
## Vranophilo Lectori. S. D.

REuolutus ferè est annus, Lector cãdide, ex quo typographis Cosmographiam, vel potius Vranographiam à me vtcunq; elaboratam, in tuũ vsum amicè æquè ac libẽter ex animo cõmisi. Hæc, ne manca relinqueretur, sollicitante in dies amicorũ meorum erudito cœtu, partibus suis (Signis, inquam, Planetis & Asterismis) pro mea tenuitate succisiuis lucubrationibus, quoties à studiis & rebus medicis respirare mihi licuit, facili versu, faciliore methodo, & facillima perspicuitate, perfecta tandem & absoluta tibi in lucem prodit. Non sum nescius Marcum Manilium ante annos mille quingentos treis & quinquaginta, primum omnium (quod sciam) glaciem eam fregisse: hoc est, carmine docto iuxtà ac eleganti, res cœli ad Augustum descripsisse. Ad hæc, Iouianum Pontanũ multiplicis eruditiõis virũ, haud ita porrò à nostra memoria idem factitasse. Quib⁹, & aliis nõ paucis me multa debere, ne plagij meritò accuser, ingenuè fateor: plurimáque in meis istis agellis semina passim dispersa esse agnosco, quæ ex illorum fœcundissimis horreis manarunt: sed fabulis tamen ac poëticis cõmentis, quib⁹ scatent illi, spoliata. Quòd ad styli rationem attinet, in omnibus, & per omnia breuitatem perspicuitati, quantùm tulit materia (impedita certè) copulare eximiè studui. In quo, si ornatum cũ pari eloquẽtia desideras, Marci Manilij in eodem argumẽto versantis patrociniũ audire nõ grauaberis:

*Ornari (inquit) res ista negat, contenta doceri.*

Hæc sunt in summa quæ te scire paucis volebam. Bene vale, Lector candide, idémque frater mihi ex animo amice: quem cœlestis ille omnium pater qui facientes adiuuat, sua gratia mecum semper illustrare dignetur.

# ANTONII MIZALDI

## Monluciani, monocalon asclepiadeum, choriambicum, acataleɛticum, de laudibus, præstãtia, & dignitate docti Astronomi.

Ad Franciscum Oliuarium, Galliarum Cancellarium prudentissimum.

SEMPER visa fuit conditio mihi
Perdocti Astronomi, non reliquis modò
Maior: sed melior, nobilior quoque,
OLVARI, celebris gentibus omnibus
Cancellarie Regũ quater inclytûm,
Franciſci patris, eius quoque filij
Henrici, atque ſacer Caſtalidum parens,
Nec non Aſtronomων portus, & anchora.
In primis, ſtudium, curáque ſordida
Terræ, non potis eſt flectere ad infima
Illum: ſed vehitur ſummus in æthera,
Sublimi feriens vertice ſidera:
Illic vt liceat viuere cum choro
Diuinæ Vraniæ mille modis ſacro:
Qui, tanquam ſteriles, eſſe procul iubet,
Quos auri rutilans illaqueat nitor
Blandis funiculis, mortiferis tamen:

Laus docti Astronomi à neglectis fortunæ bonis.

*Quos ingens grauitas præpedit altiùs*
*Reptare: & potius consequier bonum:*
*Et quos magnificæ nobilitant opes:*
*Quos fœtu reditus multiplici fluens,*
*Quos distenta nouis horrea frugibus,*
*Quos vino valido vasa tumentia,*
*Quos mensæ dapibus pontificalibus*
*Instructæ celebrant, ac populariter*
Nihil cõmercij cælo cũ voluptatib⁹. *Acceptos faciunt, atque foris beant:*
*Hos (inquam) Vraniæ sidereus chorus,*
*Ceu telluris onus, cœlitibus nimis*
*Inuisum, refugit, fulminat, expuit:*
*Queis, vel iure bono, connumerabimus*
*Hircorum, atque suum sordidulos greges:*
*In quorum stabulis præcipuam damus*
*Sedem, molliculis Sardanapaliis:*
*Necnon ventricolis mille Epicuriis:*
*Qui cœlum spoliant viribus, & Deum*
*Non curare homines turpiter astruunt:*
*Dum Baccho & Cypriæ sacra perimpia*
Fortunæ cum cœlo malè conuenire. *Noctcis atque dies concelebrant: nihil*
*Optantes melius, nobilius nihil,*
*Post vanos titulos, vanáque nomina:*
*Et dona instabilis perpetuò Deæ:*
*Quæ florent hodie, fluxáque cras iacent.*
*Se non Astronomus talibus impedit:*
*Qui cum cœlitibus cœlica possidet*
*Fœlix regna: quibus (turre velut situs)*
Fœlix admodũ Astronomi conditio. *Quàm circo positas res hominum breui,*
*Quàm clausas humili valle procul videt?*
*Quàm ridet miseros tericolas? Deus?*

Quan

*Quantis inde malis hos notat affici?*
*Et quot mortiferis cladibus impeti?*
*Quot furtis, gladiis, diſsidiis, dolis,*
*Vnumquemque alium perſequier? bene*
*Dum ſurſum reſidet tutus in æthere.*
*Sic eſt Aſtronomus Cæſare, ſiue quid*
*Illo maius habes, mille beatior*
*Cauſis, mille modis maior, & altior*
*OLVARI, celebris gentibus omnibus*
*Cancellarie Regum quater inclytûm,*
*Franciſci patris, eius quoque filij*
*Henrici, atque ſacer Caſtalidum parens,*
*Necnon Aſtronomon portus, & anchora.*
*Vt celſo volitans ſub ſolio Iouis*
*Per Phœbi radios Rex auium, ſolet*
*Deôrſum tardigradas temnere cochleas,*
*Muſcas, vermiculos, puluereum ſitum:*
*Sic ſummum volitans ſummus ad æthera*
*Dum vult Aſtronomus, deſpicit infima:*
*Ac vileis hominum ridet ineptias:*
*Et quæ conſtituunt eximiè bona*
*Multi terrigenæ, diuitias, togam,*
*Faſtus purpureos, cornigerum caput,*
*Necnon mille tibi cognita, negligit:*
*Affectans aliud nobilius bonum:*
*Non hunc chara ſoli detinet area:*
*Non gemmæ, aut lapidum ſplendor amabilis*
*Hûic auferre poteſt ſidereum iubar:*
*Non vani tituli, ſomnus & ocium:*
*Aedes marmoreæ, pulchra palatia:*
*Seruorum ſtrepitus, milléque ferculæ:*

Pulchra ſimilitudo & ſummè notanda.

Hæc legât ambitioſi mortales. Aſtronomus alter homo quàmmortalis.

*Is castæ Vraniæ discipulus, parum*
*Re vera ista facit: noscere sat putans*
*Motus sidereos: vim senis algidi:*
*Vim fustiæ Veneris, Mercurij quoque:*
Rerũ cœli Philosophi incredibilis et summa fœlicitas. *Quid cum Marte ferat Iupiter aureus:*
*Quando bella cadent: cur premat anxia*
*Illum pauperies: huîc diademata*
*Quem finem referent: quid statuent equi*
*Tingentes rutilos ad mare Athlanticum*
*Soles: adiiciet quæ mora noctibus*
*Tardis obstiterit: rursus vbi ignea*
*Aestas emicuit, cur breuioribus*
*Nox adsit tenebris, lux eat amplior.*
*Quid porrò exoriens, & pariter cadens*
*Mundo terrificus Seirius imprimet:*
Cœlũ doctis Astronomis peruium esse. *Et quid Pleiades, quid Hyades, simul*
*Arcturus, Procyon, Hœdulus, & Lyra,*
*Ac Præsepe, & Oriónque, Coronáque.*
*Hæc cuncta Astronomus dum bene percipit,*
*Dum tot perfruitur commoditatibus,*
*Non eius studium, gloria, dignitas,*
*Sors, & conditio nubibus obtegit*
*Splendores alios, iuréque destruit*
*OLVARI, celebris gentibus omnibus*
*Cancellarie Regum quater inclytũm*
*Franciſci patris, eius quoque filij*
*Henrici, atque sacer Castalidum parens,*
*Necnon Astronomon portus, & anchora?*
*Hæc sunt magna quidem, sed nihil, aut parum*
*Admiranda putes, si modò quæ dabo*
Astrono- *Spectas: Astronomus mille, vel ampliùs,*

*Annis*

*Annis antè, poteſt dicere quo loco*
*Eclipſes populum concutient metu:*
*Et qua parte poli proſpicier queant:*
*Queis exinde plagis, aut regionibus*
*Mundi: & qua facie parturient mala:*
*Quo nam menſe cadent: quis color imminet:*
*Et quàm longa prement damna: quibus modis:*
*Non per bella, famem, peſtiferam luem:*
*Aut morbos alios: per pluuias, gelu,*
*Ventorum rabies, intolerabilem*
*Aeſtum: præterea, non ferientur his*
*Aut bruta, aut homines: quæ bene ſingula*
*De ipſis aeriis ignibus, & vagis*
*Crinitis, etiam ſedulò iudicat.*
*Addo, quòd methodo tempora ponere*
*Scit, queis veliuolum Luna tumeſcere*
*Compellet pelagus, móxque quieſcere.*
*Scit terræ vnde tremor, quando futurus eſt:*
*Et quando illuuies: fulmina ſtridula*
*Dum nubes parient: quando tonitrua*
*Surgent: quando niues, quandóue grandines:*
*Et quo menſe cadent, vel potiùs die:*
*Qui mores hominum: qui ſteriles erunt*
*Anni: qui Cereris munere, diuites*
*Reddent agricolas, muſtáque porrigent:*
*Quæ ſtellæ pluuias, flamina quæ dabunt:*
*Necnon & nebulas, ſudáque tempora:*
*Arctoum Boream, cum madidis Noti*
*Pennis, & Zephyrum floribus vtilem:*
*Euri viuifices denique ſpiritus*
*Cœlum quando ſuis motibus adferet,*

mus peritus & doctus, alterre vera Propheta.

Mira prouidẽtia Aſtronomi.

Ex his colligere Aſtronomum (ſi quidẽ volet) diuitẽ leuiter fieri poſſe.

*Cum*

*Cum ventis ſociis, & lateralibus,*
*Seu terram peragres, ſeu mare nauiges.*
*Sic eſt Aſtronomi gloria maxima,*
*Ingens præterea laus, decus, ac honor*
*OLVARI, celebris gentibus omnibus*
*Cancellarie Regum quater inclytûm*
*Franciſci patris, eius quoque filij*
*Henrici: atque ſacer Caſtalidum parens:*
*Necnon Aſtronomon portus & anchora.*
*Vt Solis radians igniferi iubar,*
Altera ſimilitudo pulchra et elegans. *Stellas, eximio lumine fulgidas*
*Non dicam ſuperat, ſed remouet procul*
*Ex noſtris oculis, obtenebrat quoque:*
*Sic docti Aſtronomi conditio ſacra,*
*Et ſplendor rutilans (inuidiæ locus*
*Hîc abſit) titulos, magnificè graueis,*
*Et vulgi phaleras conſepelit: necnon*
*Obſcuris tenebris volûit, & implicat:*
*Is, quod nemo poteſt, vrbibus exprimit*
*Qui morbi imminеant, & quibus irruent*
*Anni temporibus: qualis hyems erit:*
*Quid Ver arboreis floribus aduehet:*
*Æeſtas quid ſegeti, denique vitibus*
*Autumnus quid alet, de vario ſitu,*
*Aſpectu, radiis, motibus, impetu*
*Aſtrorum: quibus eſt imperium datum*
*In res quas gremio terra capit ſuo:*
*In res acrias, res pelagi quoque:*
*Queis addes hominum corpora, ſicuti*
Aſtronomus do- *Nos diffuſe aliis perſequimur libris:*
*Hæc, inquam, Aſtronomus præuidet: vnicus*

*Re vera*

*Re vera ſapiens: excipio rudes,*
*Plebeióſque aliquot, Mercurio bene*
*Irato genitos: qui leuiter nimis*
*Res cœli maculant: experientiæ*
*Nil, vſus minimùm, iudicij parum,*
*Aut fortaſſe nihil, præterea minùs*
*Artis (proh hominum, próhque Deûm fidem!)*
*Callentes: ſed in his plus ſatis immoror:*
*Expertum Aſtronomum, nec populariter*
*Edoctum repeto: qui ad numeros vocat*
*Stellas: & proprio nomine quamlibet*
*Compellat: proprio collocat & loco:*
*Dicit quot breuibus nocte micent notis:*
*Magnarum quota ſit prima, ſecundáue:*
*Quo quærenda modo quælibet: indicat*
*Quæ menſura polis, quanta profunditas:*
*Immenſum ſpatiis æthera diuidit:*
*Formas in varias ſidera colligit:*
*Huic ſemper ſuperi regna patent Iouis:*
*Hunc Dij ſympoſiis, ac epulis ſuis*
*Quando vult adhibent: hunc adamant, ei*
*Perdulcem ambroſiam, & nectar inebrians,*
*Cœleſtéſque dapes ſedulò proferunt:*
*Paucis, hunc decorant, & variè beant:*
*Vnde eſt Aſtronomi conditio boni,*
*Et ſors æthereis ædita ſedibus,*
*Non dicam reliquis nobilior, ſed &*
*Maior, ditior, ac magnificentior*
*OLVARI, celebris gentibus omnibus*
*Cancellarie Regum quater inclytûm*
*Franciſci patris, eius quoque filij*

ctus, re vera magnᵒ ac ſapiés.

Res cœli omnes docto Aſtronomo aptas eſſe ac expoſitas.

*Henrici:*

*Henrici: atque ſacer Caſtalidum parens:*
*Necnon Aſtronomωn portus, & anchora.*
Doctũ Aſtronomũ recreationibus non carere vllo tépore, dum verſatur in cœlis.
*Dicet fortè aliquis, quòd caret omnibus*
*Quæ corpus recreant, ac animum fouent,*
*Solers Aſtronomus, ſidereas domos*
*Luſtrans, ſuſpiciens, perpetuò colens:*
*Hunc cœli exhilarant innumeris viis:*
*Hunc dant mille modos, milléque machinas*
*Laxandi ingenij: vis ſequier feras?*
Venatio in cœlo.
*Mox venator adeſt dexter, & impiger*
*Syluarum Arctophylax incola: qui duas*
*Vrſas, & Leporem peruolucrem dabit:*
*Armentíque patrem deteget eminus:*
*Ac arcu, & iaculis te quoque muniet:*
*Ardentéſque Canes illico ſeliget:*
*Quorum dente cadent & Lupus, & Leo:*
*Aurigas & Equos, Plauſtráque proferet:*
Aucupiũ.
*Queis vel difficilem conficies viam.*
*Auceps ſi fieri fortè moueberis:*
*Corui illic, Aquilæ, Vultur, Holor, volant.*
Piſcatio.
*Geſtis inſidias tendere piſcibus?*
*Huc tranſlatus aquis Eridanus ſuis,*
*Multos ac varios ſedulò congeret:*
*Vt Cetum taceam, cum regradario*
*Cancro: præterea Piſciculos duos,*
*Aut treis (ſi notium connumeras eis)*
*Delphinumque, maris, deînde poli decus.*
Digladiatio.
*Si fortaſſe iuuat digladiarier:*
*Orion rutilans enſifer irruet.*
Nauigatio.
*Si contrà, ſtudeas æquora ſcandere:*
*Argo nauis erit: magnáque fuſio*

*Vndarũ:*

*Vndarum: gregibus vis operam dare?* Rustica-
*Hircum, Lanigerum, cornigerum Caprum,* tio.
*Vel dicto citiùs conspicies ibi:*
*Cum summis ducibus, principibus quoque* Aulicorũ
*Versari satagis? perfacili manu* cõuersa-
*Iunges, ac socios efficies tibi,* tio.
*Cepheũm peruigilem, magnanimum Herculem,*
*Necnon historiis Perseа cognitum.*
*Ten' docto alloquio fœmina, splendido* Amatoria
*Aspectúue capit? se offeret illico* in cœlo.
*Formosa Andromede, Cassiopeáque.*
*Vis gustare Diis nectar amabile?*
*Cratera inuenies pernitidum: placet* Cõpota-
*Cantu, vel modulis te, simul & tuum.* tio.
*Restaurare animum? percelebris Lyra* Musica.
*Orpheî, mox oculis prosiliet tuis:*
*Affectas superis sacrificare Diis?* Sacrifica-
*Illic Ara patet: frigora pellere* tio.
*Exoptas? varij (conticeo Focum)*
*Ignes, viuificis vsque caloribus,*
*Sursum perpetuo lumine splendicant*
*Noctes atque dies: infima, summáque*
*Lustrantes: vegeto denique spiritu*
*Afflantes: quid habes, aut petis amplius?* Domina-
*Rex ambis fieri? cœlica numina* tio & Po-
*Te ornabunt rutilo mox diademate:* testas.
*Vis cum candidula virgine, dulcibus* Delecta-
*Verbis, tristitias excutere ingeni?* tio.
*Cœlum rite dabit: cum pueris cupis* Ludi &
*Ludis atque iocis ocia fallere?* ioci.
*Surgent Tyndaridæ sedulò paruuli:*

*Vis*

*Vis cum magnificis, & grauibus viris,*
Omniũ disciplinarũ, & artiũ officina in cœlo. *De regno, studiis, militibus, foro,*
*Castris, diuitiis, corporeis bonis,*
*De rebus medicis, rebus agrestibus,*
*De legum placitis, atque mathesibus,*
*De sacra sophia, mechanicis quoque*
*Disceptare? tibi mox aderunt, senex*
*Saturnus, Venus, & Iupiter optimus,*
*Necnon Mercurius, Cynthia denique,*
*Et Mars, Phœbus item, turbaque plurima*
*Patrum cœlicolũm, docta, vetus, bona,*
*Quæ promptè, & modico tempore, quod rogas*
Omis geometria in cœlo. *Facundè expediet: Vis tibi pingier*
*Cyclos, lineolas, puncta, triangulos,*
*Orbeis, aut aliud tale? mora breui,*
*Cœlum quidquid id est proferet: insuper*
*Odisti tenebras? nil nisi lux micat*
In cœlis splendida omnia ac nitida. *Sursum: vis rutilas, vis oculis tuis*
*Gemmas de radio non tolerabiles?*
*In cœlo residentmilia milies:*
*Quiduis siderei regia fert poli:*
*Prudentem Astronomum participem sui*
*Reddit consilij Iupiter: hunc suam*
*Mentem sæpe docet: certáque signa dat,*
*Queis tanquam trutinâ singula ponderet*
*Quæ sunt, præterierunt, venient quoque.*
*Sed finem facio, dum modò dixero,*
Astronomũ omnia Deo accepta referre: quẽ ex *Tantas Astronomum res domino Deo*
*Acceptas positâ ferre superbiâ:*
*Quarum notitiâ, transit ad illius*
*Veram notitiam. Dic, quid habes, homo,*

*His maius, melius, magnificentius?*
*Nil sanè: ergo mihi perpetuò bene*
*Visa est Astronomi conditio probi*
*Et docti, reliquis esse beatior,*
*Ac præstantior, illustrior, altior,*
*OLVARI, celebris gentibus omnibus*
*Cancellarie Regum quater inclytûm,*
*Francisci patris, cius quoque filij*
*Henrici: atque sacer Castalidum parens:*
*Necnon Astronomωn portus & anchora.*

suis operibus veneratur ac adorat.

*Finis encomij docti rerum cœli Philosophi,*
*seu Astronomi, Antonio Mizaldo*
*Monluciano authore.*

ELBLĄSKA BIBLIOTEKA

Ob. 6. II. 3318

Ob. 6. II. 3318 - 3320